[Lorenzo Scupoli] ...

PVGNA SPIRITVALIS.

Tractatus verè aureus: de Perfectione vitæ Christianæ

Ab incognito, sed pio & docto viro, primùm Italicè scriptus: dein ab alio item incognito in germanicam linguam versus.

Collegii Societatis Jesu Monachii 1603.

Nunc verò latinè redditus

A. R. Dn. IOD. LORICHIO. S. Theolog. Doct. & Professore in Acad. Friburgen. Brisgoiæ.

Adiecta est huic latinæ versioni Appendix de Iaculatorijs Oratiunculis.

Cum facultate superiorum.

FRIBVRGI BRISGOIÆ

Excudebat Martinus Böckler Typograph.

ANNO M. D. IC.

R^mo. IN CHRISTO PAT. AC DOMINO: DN. MARTINO, insignis Monasterij S. Blasij in nigra sylua ABBATI dignissimo: DOMINO suo perofficiosè colendo.

NIHIL quidem de perfectione vitæ Christianæ rectius, explicatius, vtiliusq; dici ac scribi potest, Rme. in Christo, Pater, Domine colende, quàm quæ

de eadem nobis in Scripturis sanctis tradita ac commẽdata sunt. Sed cùm ista in profundo S. Scripturarum oceano, ceu rari flosculi in latissimo campo, longè à se inuicem disiuncta sint, non sufficit humanus animus ad ea capessenda, conseruandaq; donec in quendam velut fasciculum collecta, continuè præ oculis haberi, crebrius legi, memoriaq; mandari poßint.

Quod sapienter sanè plurimi doctrina pariter & pietate præstantes viri Patres perspexerunt, qui tam latè

spar-

sparsos sacrarum Scripturarum flosculos, in varios fasciculos piarum institutionum, lectionum, orationum, meditationum, & similes collegerunt; vt humani ingenij imbecillitati, ad res illas sublimes cognoscendas, & in vtilitatem mentis ac corporis transferendas; piam opem afferrent.

Inter quos sacrorum flosculorum collectores non infimus fuisse credendus est huius spiritualis Pugnæ primus autor, qui pio humilitatis studio nomen suum reticuit.

Quip-

Quippe in Tractatu hoc per breui, ordinatissimè ac perspicacissimè complexus est omnia, ad spiritualis vita optimam perfectionem parandam necessaria: quæ alij multis ac magnis libris vix assecuti sunt. Quod fecit, vt ego Versionem eiusdem Tractatus ex Germanico in Latinũ sermonem hoc libentius susceperim, ne tam pretiosus optimarum gemmarum thesaurus, à piorum, præsertim Ecclesiasticorum, qui latina malunt legere quàm germanica, pijs vsibus subtraheretur.

Quan-

Quanta autem in hoc thesauro, & quàm pratiosæ diuitiæ recondita lateant, equidem paucis verbis neq; possũ, neq; debeo explicare: quòd magnis de rebus dicere pauca, easdem est obscurare, & reddere abiecta. Illud tamen pium lectorem commonefacere non intermittam, ne perfunctoria lectione libellũ hunc transcurrat: sed quodlibet capitulum tertiò, quartoq; legat & relegat, donec senserit se eius intelligentiam animo concepisse. Cumq; hac diligentia totum perlegerit:

dennò legendum ſuſcipiat, & quod legit, in mentis, omniumq́; interiorum & exteriorum virium ſuarum inſtructionem, directionemq́; transferat: in eoq́; ſic pergat, donec totum abſoluerit. Tandem eundem hunc libellum tanquam ditiſſimum ſpiritualium pharmacorum myropolium, ſemper in promptu habeat, vt quoties ſe medicina indigere cognouerit, protinus eam inueniat, & quò opus fuerit adhibeat. Plura non moneo, ne alacrem lectorem potius deterream quàm inuitē.

Hunc

Hunc ergo sublimem, pretiosissimumq; thesaurum spiritualium gemmarum, seu instructissimum myropolium optimorum pharmacorum mysticorum, Rmæ. Pat. Tuæ, eiusq; religioso conuentui, ante alios offero ac dedico: ut ex vestro spirituali profectu, gloriosaq; ex hac pugna parta victoria; cæteri in vos aspicientes, ad eandem pugnam aggrediendam reddantur animosiores. Hæc enim illa pugna est, in qua, iuxta Apostoli verbum, non coronatur, nisi qui legitimè certauerit.

Et

Et vobis quidem vestrisque simi libus, ante alios Christianos hæc pugna conuenit; quòd ab ieceritis impedimenta secularium curarum, vt expeditius cum hoste possitis confligere, faciliusque victoriam obtinere. Quod equidem vobis & omnibus opto ex animo: & me vestris coronis participem fieri confido. Vt. Rma. Pat. Tua in Domino quàm optimè, & me solito fauore benignè prosequatur. Friburgi Brisg. die XXI. Iulij: M. D. IC.

Rmæ. Pat. Tuæ
Obseruans
Iod. Lorichius S. Theol. D. & Professor.

INDEX CAPITVM HVIVS libelli.

De

De

FINIS.

Approbatio huius Tractatus, ex Italico exemplo in Latinum conuersa.

Tractatum de pugna Christiana ac spirituali, de nouo correctum, auctumque: ego F. Stephanus Guaraldus, Inquisitor generalis ex centum Illustriss. Ducatus Veneti constitutus, legi & relegi diligenter. Quem omninò dignũ iudico, vt iterum foràs in publi-

publicum detur; quòd multum consolationis ac emolumenti pio, Christianoq; Lectori afferre possit,

Approbatio R Decani Facult. Theol. Friburgen.

Quia in huius Tractatus Versione nihil à prioribus editionibus immutatũ est: & ea quæ Appendicis loco, & aliâs addita sunt, eundẽ vtiliorem reddant; dignissimum iudico, qui publicis vsibus tribuatur.

Matthias Cassianus S. Theol. Doctor, Professor, & Facultatis Thologicæ secundũ tempus Decanus.

DE PERFECTIONIS NECESSITATE.

Ex D. Bernardi Epist. CCLIII. ad Garinum Abbatem Alpensem.

ITaq; indefessum proficiendi studium, & iugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni, esse perfectũ est, profecto nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solent, Sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm patres nostri? O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest. Quid enim stat in hoc seculo? Et certè de homine specialiter dictum

dictum est: Fugit velut vmbra, & nũquam in eodem statu permanet. Ipse denique hominis seculiq; auctor quandiu in terris visus est, & cũ hominibus conuersatus est, nũquid stetit? Et quidem teste scriptura pertransijt benefaciendo & sanando omnes. Pertransijt ergo sicut non infructuosè, ita non remissè: non pigrè, non lento gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: Exultauit vt gigas ad currendam viam. Porrò currentem non apprehendit qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi? Ideo Paulus aiebat: Sic currite, vt comprehendatis. Ibi tu Christianæ fige tui cursus profectusque metam, vbi Christus posuit suam. Factus est, inquit, obediens vsque ad mortem. Quantumlibet ergo cucurreris: si vsque ad mortem non perueneris, brauium non apprehendis. Brauium Chri-

stus

ſtus eſt. Quod ſi illo currente tu gradum ſiſtis: non Chriſto appropias, ſed te magis elongas: timendumq́; tibi eſt quod ait Dauid: Ecce qui elongant ſe à te Domine, peribunt. Itaq; ſi proficere currere eſt: vbi proficere, ibi & currere deſinis. Vbi veró non currere, ibi & deficere incipis. Hinc planè colligitur quia nolle proficere, non niſi deficere eſt. Hactenus D. Bernard.

PVGNA SPIRITVALIS,

Siue

De perfectione vitæ Christianæ.

Cap. I.

Quibus in rebus perfectio Christiana consistat: & de quatuor ad eam obtinendam necessarijs.

Dilecte in Christo fili: si tibi curæ ac cordi est, sublimitatē Christianæ pfectionis asse- *Vsus perfectionis.*

qui: ac cùm Domino Deo tuo vniri, unusque cũ eo ſpiritus effici: (quo ſanè nec vtilius, neque præſtantius, diuiniuſque ab homine quicquam fieri excogitarique poteſt:) ſcire te ante omnia oportet; quibus in rebus perfecta ſpiritualis vita conſiſtat.

Falſæ perſuaſiones de Perfectione vitæ Chriſtianæ.

Sunt enim nonnulli, qui horum conſideratione debita neglecta, arbitrantur perfectionem hanc potiſſimùm cõſiſtere in auſteritate vitæ, h. e. carnis caſtigationibus, vſu ciliciorum, ieiunijs, vigilijs, horumque ſimilibus aſperis exexcitijs afflictionibuſque corporis. Alij

Alij verò, præsertim fœminæ, leuiter sibi persuadent, se in Perfectione ista spirituali plurimùm profecisse, si multas quotidie preces recitent, Missas pluresaudiant, frequẽter confiteantur, Sacramque Communionem accipiant.

Sunt & alij non pauci, & inter hos etiam quidam Religiosi, qui Perfectionem hanc arbitrantur consistere in attẽta ac deuota celebratiõe diuinorum officiorum, in regularis silentij custodia, vita solitaria, reformata regulari disciplina, & cæteris actionibus omnibus ritè ordinatis: & ali-

us quidem in illo, alius in alio istiusmodi pio exteriori exercitio eam constituit.

Enimuerò longè aliter se res habet. Tametsi enim exercitia illa exteriora pia, multũ ad istam spiritualem Perfectionem iuuent; Non est tamen ea tota in istorum obseruatione constituta. Hoc autẽ iuuãt ea exercitia, ut ijsdem se occupans, facilius obtineat gratiam Spiritus sancti, ad superandã fragilitatem carnis suæ. Sed & muniunt hominem, armaturamque ei præstant aduersus insidias atque incursus communis infestissimique hostis nostri.

Vsus corporalium exercitiorum

noſtri. Ac tandem etiam proſunt ad multa pietatis opera facilius, feliciuſque præſtanda; præſertim tyronibus ſeu Nouitijs in hac ſpirituali palęſtra.

Quinetiam iam exercitatis & confirmatis in illa ſpirituali palęſtra, afferunt fructus ſpiritus multiplices: ita tamen vt ipſi corp⁹ ſuum propterea dũtaxat affligant, quòd Deum creatorem ſuum quandoque etiam offendat: & vt illud ad ſeruitium DEI adſuefaciant. Similiter hi exercitati ſilent, atque in ſolitudine viuunt; vt omnem peccãdi occaſionem deuitent, & abſq; mundi hui⁹

impedimentis tranquillius, feliciusque vacare possint meditationibus cœlestibus. Adhæc deuoti & attenti sunt in diuinis officijs, exercent se frequenter in operibus charitatis, in precibus, & frequenti sacra Communione; non aliã ob causam, quàm ob honorẽ ac gloriam diuinæ Maiestatis, & vt per sanctam charitatem Domino Deo sui vniri valeãt.

Abusus exercitiorum corporalium

Qui verò in istiusmodi exterioribus exercitijs quiescũt, in ijsque suum finem constituunt; sæpe labuntur in grauia pericula salutis suæ: non quidem propter ipsa exercitia exteri-

teriora (quæ ſuaptæ natura bona ſunt & plurimorum Sãctorum exemplis commendata:) ſed quod duntaxat attenti ſint ad iſta exteriora exercitia; hominem autem ſuum Interiorẽ ſinant naturalibus ſuis affectibus indulgere, & diaboli laqueis innecti. Nam vbi malignus ille hoſtis eos videt in talibus exercitijs à recta via aberrare; non ſolùm ſinit eos in iiſdem quietè, ac cum iucunditate quadam pergere: ſed & habenas eis laxat; vt videantur ſibi iamiam velut in delitiis Paradiſi (quas pro vana ſua perſuaſione leuiter imaginantur

tur ac fingunt) obambulare, Deumque in seipsis loquẽtem audire. Vnde & in meditatio-nibus suis tantam quandoque suauitatem, iucunditatemque experiuntur, vt se putent à Mũdo, omnibusque creaturis seiunctos, & velut extra se in tertium vsque cœlum raptos.

Vt deprehendatur quorũdam inepta persuasio Perfectionis.

Sed quàm grauiter hi omnes semet decipiant, quamque longè à vera Perfectione aberrent; ex reliqua ipsorum vita haud difficulter potest iudicari. Sunt enim vt plurimum homines singulares, curiosi, & in vitam, moresque aliorũ oculati cẽsores, contraq; eorun-

rundem facta. murmurantes Et cùm ipsis aliquid errati obijcitur: vel à solitis suis exercitijs(quę ex arida potissimùm consuetudine factitant) nonnihil impediuntur; aut ordinaria eis Cõmunio negatur; confestim videris eos iracundia incensos, inquietos, desperabundos.

Quod si etiam Deus eis nõnunquam immittat infirmitatem aut tribulationem quampiam: vt aut eorum probet patientiã, aut propriæ ipsos fragilitatis admoneat:(quæ sunt omnium aduersitatum causæ præcipuæ:) mox deprehen-

dere licebit, quàm falsò in suis exercitijs corporalibus nitantur fundamento, quàm turbentur animo, quantáque in eis lateat superbia. Nesciunt enim, aut non volunt suam voluntatem, in omnis generis, euentis, prosperis pariter & aduersis, promptè resignare, nec seipsos sub potenti manu Dei humiliare: nedum vt ad ipsius exemplum, se omnibus etiam creaturis humiliter subijciant.

Inimici sunt nostri Sed nec inimicos suos vt veros amicos, & diuinæ bonitatis instrumenta, cooperatoresq; salutis ac veræ reformationis,

tionis, mortificationiſque ipſorum: amare, colereque volunt. Quod ſanè euidens indiciũ eſt, grauiſſimi in quo verſantur periculi. Corrupti n. ſunt oculi mentis ipſorum, vt videntes opera ſua exteriora (etiãſi bona) mox neſcio quos perfectionis gradus ſibi arrogent: indéque in ſuperbiam lapſi, alios temerè iudicent atque deſpiciant. *amici optimi.*

Hi profectò valdè difficulter corrigi poſſunt: niſi Deus eorum corda fortiter feriat, mentiſque tenebras lumine ſuæ claritatis diſpellat; vt laqueos quibus innexi conſpi-

cientes, effugiũ quærere possint. Verè namque dictum est: facilius converti posse magnũ peccatorem manifestum, quã simulatum iustum, qui pallio virtutum latentem iniquitatẽ cælat.

Vides ergo, dilecte fili, satis manifestè: Perfectionem spiritualem in prædictis operibus ac persuasionibus nullatenus consistere. Scias autem in nulla re alia eam positã, quàm in vera cognitione ineffabilis bonitatis diuinæ: & in nostræ vilitatis, miseriæ, nullitatis, affectuumque nostrorum naturalium ad omnem malitiam

Qua in re consistat vera pfectio.

pro-

procliuium, vera agnitione: Itemque in vero odio nostrarum personarum, & contrà in vero amore DEI: tandemque in nostræ propriæ voluntatis absoluta abnegatione, eiusdemque in diuiam voluntatem resignatione. Scilicet vt homo se totum, nõ solum omnipotenti Deo, sed & propter ipsum, omni etiam creaturæ subijciat: & hoc nullam aliam ob causam, quàm vt faciat quod placitum est corã Deo; cuius Maiestati vt ab omnibus purè seruiatur, omnisque honor, laus & gloria tribuatur, longè dignissimũ est.

Hæc

Hæc est abnegatio illa, quā
Abnegatio suiipsius. Saluator noster Christus sæpius inculcauit. Hæc est illa vera obedientia, ad quam Dei filius, verbo & exemplo, suos fideles seruos inuitat ac dirigit.
Matth. 10. Luc. 14. Ioā. 12. Phil. 2. Hæc est desiderabilis Crux, quam fideles serui humeris suis imponere, & sic Christum Dominum suum sequi debēt.
Ioan. 13 & 15. & 1. Ioan. 2. Hæc illa dilectio, quam Dominus noster toti mundo, discipulisque suis vt amicis & filijs; tam frequenter, & præcipuè post nouissimam Cœnā, pedumque lotionem, seriò demandauit.

Itaque dilecte fili, si sublimita-

mitatem Perfectionis Christianæ volueris assequi; vim tibi facias oportet: & studeas teipsum in omnibus affectibus tuis, tam leuioribus, quàm grauioribus, semper vincere, animumque tuum ad hanc pugnam diligenter instruere atque armare. Etenim corona huius certaminis nulli datur, nisi legitimè ac strenuè certauerit.

Mortificationi affectuũ studendum.

2. Tim. 2.

Sicut enim inter omnia certamina Christianæ vitæ, hoc (de quo agimus) omniũ maximum ac difficilimum est: ita & victoria ex eo reportata gloriosior, Deoque gratior: tantope-

toperè, ut si inordinatos tuos affectus, etiam leuissimos, superaueris, cōculcaueris, mortificaueris, exscideris; multò gratius obsequium Deo præstiturus sis, quàm si vltrò teipsum vsque ad sanguinem flagelles, vel more antiquorum arctissimè ieiunes, aut multa infidelium vel peccatorū millia, ad fidem Christi, pœnitētiamque conuertas.

Tametsi enim Domin⁹ Deus noster, conuersionem animarum plus amat, quàm propriæ voluntatis tuæ in leuioribus rebus abrenuntiationem; nihilominus hoc te solùm ac præ-

præcipuè velle ageréque oportet, quod ipse abs te vult fieri. Dixit autem omnibus: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum:& tollat Crucem suam, & sequatur me. *Mar. 8.* Absque dubio enim plus Deo placebis, si teipsum in mortificatione tuorum affectuũ seriò occupes; quàm si cũ inordinato aliquo affectu, etiam ingentia, ac quãta fieri possunt negotia, præstes.

Intelligis ergo, dilecte fili, quibus in reb. Perfectio Christiana consistat: & quod ad eandem obtinendam te in cõtinua ac graui pugna semper vi-

Quatuor genera armorũ,

ad spiritualē pugnā. victorem esse oporteat. Itaque vt tanquam strenuus miles Christianus istud feliciter consequaris, quatuor genera spiritualium armorū tibi sunt necessaria. Scilicet 1. Diffidentia de teipso.

2. Confidentia in Deo.
3. Iugis exercitatio.
4. Deuota oratio. De quibus armis, auxiliante Deo, deinceps ordine, breuiterque trademus.

CAPVT II.

De Diffidentia suÿpsius.

Diffi-

DIffidentiam hanc tuijpsius, tribus salutaribus medijs tibi comparare poteris: quorum primum, vt agnoscas verè, intimèque consideres extremam v litatem ac miseriam tuam: simulque apud te certò statuas, nihil prorsus te boni ex teipso facere vnquam posse. Etenim homo ad faciẽdum opus bonum ac meritorium apud Deum ex seipso, nõ aliter impeditus est, atq; grãdis lapis ad motum sursum. Et eandem prope inclinationem habet homo ad malum, quam grandis lapis deorsum ad terram.

Media eam cõparãdi tria.

Hominis vilitas.

Al-

2\. *Oratione opus.* Alterum medium eſt, vt hanc tui Diffidentiam, quoniam ſolius Dei donum eſt, humilibus & ardentibus precibus ab ipſo efflagites. Sed prius apud te ſtatuas veréque agnoſcas oportet, te eadẽ prorſus deſtitutum eſſe, nec vnquã per teipſum eam poſſe acquirere; vt ſic totus nudus, fide conſtanti ad Deum accedas: beneque ſperes ipſum Orationem tuam benignè exauditurum, & quam optas tuijpſius Diffidentiam, copiosè largiturum. *Suſtinẽtia neceſſaria.* Oportet tamen Orationem hanc de die in diem fieri ardentiorem: atque in eadem

dem perſeuerando æquanimiter expectare, donec diuinæ prouidentiæ placitum ſit, iſtã tibi tuijpſius Diffidentiæ gratiam clementer tribuere. Hoc ſi feceris, nihil dubites, eam te aliquando conſequuturũ.

Tertium mediũ, vt ſi quãdoque lapſus fueris in peccatum, protinus mentis tuæ oculos, ad iam dictam, Vilitatem, miſeriam, & ad faciendum bonum impotentiam tuam convertas. Niſi enim eam intimè in te agnoſcas, ſinceréque confitearis, nunquã à lapſibus ſecurus eris. 3. *Vt à lapſibus reſurgendũ.*

Quicunq; n. ſe cum increata

ata veritate vniri desiderat, huic suijpsius vera intimaque cognitio omninò est necessaria. Deus quippe homines superbos ac præsumptuosos sinit quandoque in graue aliquod peccatum incidere; vt ad propriam vilitatem, fragilitatemque suã agnoscendam eos flectat ac deprimat. Et quantò cuiusque superbia maior minorúe fuerit, tantò grauius etiam aut leuius eum Deus labi permittit: vsq; adeò, vt si nulla in homine superbia (sicut in Deipara Virgine MARIA) esset, nunquã eum Deus in peccatum labi permitteret.

Superbi facilè, & cur labũtur.

Pro-

Propterea mox ubi in peccatum aliquod lapſus fueris, feſtina cogitationibus tuis ad humilem agnitionem tuijpſius, & ardentibus precibus inceſſanter Domino Deo tuo ſupplica, vt verum tuæ menti lumen infundat, ad agnoſcendam infirmitatem, miſeriamque tuam: ſic te deinceps à grauioribus lapſibus benignè ſeruare atq; defendere dignabitur.

CAPVT III.

De Confidentia in Deo ſolo.

Eſt

Diffidẽtia ſui-ipſius ſola nõ ſufficit

EST quidem in hac pugna ſpirituali, Diffidentia ſui-ipſius vehementer neceſſaria, & longè vtiliſſima, vt dictum eſt: nihilominus ſi ea ſola inſtructi in aciem ingreſſi fuerimus; mox aut victi ſuccumbemus, aut turpi fuga elabendũ erit. Quamobrem ſuſcepta tuijpſius diffidentia, mox ad Dominum Deum tuũ confugias, & pia cõfidentia ipſi ſupplicans, benignum auxilium ab eo patienter expecta. Qua in re etiã tria te ſeruare oportet.

Vt pa-

1. Primò namque auxilium tale ab ipſius Domini tui ſumma

ma maiestate, humilibus ardentibusque precibus instanter petendum est.

retur confidẽtia in Deo.

1. Deinde frequenter oculos mentis tuæ ad ipsum conuertens, intimè contemplaberis eius omnipotentiam, infinitamq́; Sapientiam: ut cui nec impossibile quicquam sit, neque graue: Cuius bonitas immensa ac interminabilis, quæ ineffabili desiderio semper parata ac prõpta sit, cuncta nobis copiosè largiendi, quæ ad spiritualem vitam, atque ad victoriam ab hostibus reportandam, sint necessaria & vtilia.

Quomodo enim fiet, vt diuinus ille ac optimus Pastor, qui post perditam ouem, totos triginta tres annos & amplius, anxietate maxima cucurrit: eamque magnis, multisque clamoribus vsq; ad raucedinem, ad se reuocauit: Itemque per salebrosam ac spinosam viam ita quæsiuit, vt sanguinem etiam suum propterea fundere, vitãque amittere debuerit; quomodo fiet, inquam, vt is benignissimus Pastor, suos misericordes oculos, ab oue illa perdita iam ad ipsum clamante, Pastoréque suum anxiè quærente, auertat?

au-

auresúe suas benignas ad eius clamorem obturet. Quomodo, quæso, promissionis suæ obliuisci poterit, vt eam iam non suscipiat in humeros suos, festúmque exultationis cũ Angelis suis in cœlis, super ea reducta non celebret? *Luc.15.*

Aut quis vnquam credat, Dominum Deum nostrum, q magno desiderio cupit habitare in cordibus nostris, in ijsque nobiscum cõuiuari: & ad distribuendos suos cœlestes Thesauros, ianuã cordis nostri continuè pulsat: eum velle aures suas occludere, suumq; accessum negare, tunc cum *Pro. 8.* *2.Co.6* *Apoc.3.*

homo iam cor suum ipsi aperit, ipsumque ad conuiuandũ in eo, humilimè ac enixissimè inuitat?

Tertiò ad acquirendã Cõfidentiam in Deo solo, requiritur frequens meditatio veritatis sacrarum Scripturarum: quæ multis in locis manifestissimè nobis testantur, quòd confidentes in Domino Deo nostro, nunquam confusi sint.

Meditatio SS. script.

Ps. 24. Rom. 5. &c.

Est præterea adhuc modus alius, quo & suijpsius diffidẽtiam, & in solo Deo confidẽtiam homo potest acquirere: Scilicet, vt in omnibus operibus tuis, priusquam aliquod inci-

In principio

incipias, teipsum cogitationi bus tuis ad considerationem tum fragilitatis tuæ, tum om nipotentiæ bonitatisque Dei conuertas: dein operari incipias.

cuiusq; operis qd specta[n]dũ.

Hunc ordinem nisi in operibus tuis diligenter obseruaueris, sæpe deprehẽdes te deceptum, cùm putares te cum magna in Deum confidentia opus suscepisse. Quia præsumptio atque superbia tantopere adhærent ac infixæ sunt homini, vt in tota vita sua ab ijsdem vix expurgari valeat. Sic ergo actiones tuas ordinabis, vt consideratio fragilitatis, vi-

litatisque tuæ, simul & diuinæ Omnipotentiæ ad te iunandũ promptissimæ, opus ipsum antecedat.

Vnde deprehendatur defectus Confidentiæ in Deo.

Præterea attende sedulò ne teipsum decipias: sæpe enim tibi videbitur, te diffidentiam tuijpsius & confidentiam in Deo iam assecutum esse: cùm tamen adhuc longè aliter affectus sis. Quod ex tui animi motibus, si quandoque labaris, facile cognosces. Nam si lapsus, in te tristitiã ac inquietudinem excitet, atque de ꝓgressu bonorum operum te velut desperare faciat: euidens signum est, te in teipso solo, & non

non in Deo confidere. Et quantò hæc in teipso confidẽtia ac desperatio maior, minorúe fuerit: hoc quoque maior, minorúe in te erit tua de teipso diffidentia, & in Deo solo confidentia.

Vera diffidẽtia & confidẽtia indicia. E contrario, si veram de teipso diffidentiam, & in Deo solo confidentiam in te habueris: non magnopere mirabeetis lapsus tuos, non multùm propterea tristaberis, neque anxius eris: quoniam agnoscis illos ex tua fragilitate contigisse: proptereaque non minuent in te confidentiam in Deum solum. Irasceris quoque

tibi propter cosdē lapsus corde contrito, nō ob aliam causam, quàm quòd Dominum Deum tuum offendisti. Hæc agens, diffidentiam de teipso magis ac magis in te excitabis, & confidentiam in Deum simul augebis: vnde paulatim in te accēdetur vehemens zelus, obtinendi in susceptâ spirituali pugna victoriam, omnesque hostes tuos vsque ad internecionem persequendi.

Quod equidem vellē quosdam homines spirituales diligēter attēdere: q cùm aliquādo in defectus incidunt: valdè impatientes redduntur: Idque poti-

potiùs vt ab anxia iſta inquietudine liberentur, quàm ob cauſas alias pias ac rectas Ideóque nec quieſcunt, donec ad Patrem ſuum ſpiritualem ſeu Confeſſarium veniant, vt ſuæ anxietatis quodpiam ſolatium accipiant: cùm tamen ad eum ideo ſolùm deberent accedere, vt à commiſſis peccatis per abſolutionem expurgarentur: & per ſacræ Communionis ſumptionem, ſpirituale quoddam robur contra hoſtes ſuos acquirerent.

CAPVT IIII.

DE EXERCITATIONE: *Et primùm de* INTELLECTV: *quomodo ab Ignorantia & Curiositate custodiendus sit.*

Tertiũ genus armorum spirit.

IVuant quidem multùm in pugna spirituali, diffidentia suijpsius, & in Deo solo Confidentia: vt hactenus ostendimus: at sola non valent ad obtinendam victoriam, neque ad firmam hominis à lapsibus custodiam. Idcirco præter ista duo, ad pugnã hanc etiam

etiam necessaria est EXERCITATIO, quam superius tertium genus armorum spiritualium statuimus.

Exercitatio autem hæc potissimùm consistit in recto acpio vsu Intellectûs & Voluntatis hominis Et primùm quidem Intellectus sedulò custodiendus est à malis duobus, Ignorantia, & Curiositate. Ab Ignorantia, quòd Intellectum oporteat esse purũ ac lucidũ, vt cognoscamus quæ nobis ad superandas passiones affectusque nostros sint necessaria. *Exercitatio in quibus cõsistat.*

Lumen autem quo Intellectus ad ista cognoscenda illustra- *Lumen intelle-*

ctus vt quærẽdum. ſtratur, duobus medijs acquiritur. Prius ac præcipuum eſt Oratio: vt intimis ſuſpirijs inuoces ac ores Spiritum ſanctũ, pro infuſione luminis huius in animam tuam. Poſterius eſt quotidiana exercitatio, vt omnes res, actiones atque negotia tua accuratè, profundéque conſideres: non ſolùm ſecundùm exteriorem aſpectũ, ſed potius in ſeipſis verè ac intimè. Nam ſi in hac conſideratione te aliquandiu ſedulò exercueris, facilè deinceps intelliges quæ res & actiones bonę aut malæ ſint: quæ item verè bonæ, & quæ exterius dunta-

taxat appareant esse bonæ. Et hæ quidem posteriores, multa ac splendida bona foris promittunt, sed nihil reipsa præstant, nec vllam menti nostræ quietem afferunt.

Quamobrem, dilecte fili, attende diligenter ad ea quæ tibi iam sum dicturus: multùm enim te ad feliciter pugnandũ iuuabunt. Itaque vt naturam ac proprietates rerum omniũ quæ nobis quotidie occurrũt, rectè intelligas, fac sedulò vt voluntatem tuam puram ac liberam serues ab omni motu, affectu ac amore, qui nõ dirigũtur aut in Deum ipsummet,

Omnia prius cognoscenda quam desiderentur.

aut in media quæ adducunt ad eum.

Nam vt intellectus bonum à malo rectè queat discernere, necesse est vt faciat priusquam Voluntas aliquod eorum eligat vel reprobet. Tunc enim adhuc purus est, vt haud obscurè possit cognoscere quid bonum verè sit, quidue malũ. Posteaquam autem Voluntas in rem aut opus quodpiam cõsentit: mox impeditur Intellectus, vt istud verè cognoscere non possit. Volũtatis quippe consensus interueniens, rẽ aut opus istud vsque adeò inuoluit atque obscurat: vt Intel-

tel-

tellectui longè melior atque splẽdidior foris appareat, quã reuera sit. Et si eam sic voluntati repræsentat, fit vt maiori desiderio eam prosequatur atque perquirat, siue in seipsa verè bona, seu mala fuerit.

Et quanto voluntatis desirium aut amor ardentior est, tantò crassius Intellectum obnubilat: Is deinde sic deceptꝰ, voluntatem ad eandem rem magis amandam inuitat. Vnde accidit vt hæ duæ præcipuę Potentiæ in hominis Anima, tantopere decipiãtur ac seducantur, vt subinde ex his tenebris

bris, in alias, & ex hoc errore in grauiorem dilabantur.

Proinde diligenter caueas, ne rem aut opus quodpiam appetas amesque nisi prius adhibitis Intellectûs examine, & Oratione ad Deum pro gratia illuminationis, ad istud verè cognoscendum, sítne bonum an malum. Atque hoc non solùm in exterioribus rebus, operibusque faciendum, sed & in pijs ac sanctis. Ac licet hæ posteriores in seipsis bonæ sint; potest tamen contingere, vt propter circumstantias temporis, loci, multitudinis, aut obedientiæ, tibi bonæ non sint.

ſint. Vnde ſæpe factum, vt multi ſuorum laudabilium piorumque laborum, graue paſſi ſint naufragium.

Poſthæc, fili mi, Intellectū tuum diligenter continebis à Curioſitate: ne quid hauriat, quod te ab obtinenda in hoc prælio victoria impediat. Curioſa enim diſquiſitio rerum terrenarum, quæ tibi neceſſariæ non ſunt, Venenum eſt animæ, etiamſi quādoque permiſſum ſit eas ſcire. Contineas ergo Intellectum tuum quatenus poteris, & coneris eum reddere inſipientem. Nouitates, Mutationes in mundo ma-

Curioſitas vitanda.

magnas aut exiguas; si te nihil attinent, animo exclude. Et quoties ea audire aut spectare oportet, semper in Voluntate iisdem contradicito. Quinetiam in cognoscendis rebus cœlestibus, humilem te semper ac sobrium exhibe: neque

Quæ scieda. aliud quicquam scire desideres, quàm Christum tuũ crucifixum, eiusque vitã & mortem.

Reliqua autem omnia abs te repelle: sic facies Domino Deo tuo obsequium gratissimum: quoniam ipse inter amicos optimos numerat eos qui nolunt scire plura, quàm

quæ

quæ eis necessaria sunt ad diligendam ipsius immensam bonitatem, & seipsos odio habẽdos. Quoniam in omnium aliarum rerum notitia inquirẽda, latet proprius amor, & quædam perniciosa superbia.

Si ergo te ab his diligenter custodieris, multas hostium tuorum insidias effugies. Etenim malignus ille spiritus attendens constantem voluntatem eorum, qui ad Spiritualem perfectionem contedunt ita vt nõ possit eos in aliquod peccatum abducere: callidè struit initiò insidias Intellectui ipsorum, vt paulatim in ipsum pari-

Vt diabolus decipiat doctos.

pariter & voluntatem obtineat imperium. Scilicet his qui docti sunt, ingenioque pollēt; suggerit sublimes atque subtiles cogitationes, vt se iā putēt cum Deo vnitos esse: atque sic obliuiscantur suijpsorum, nihilque cogitent de emundatione conscientiarum, de propriæ voluntatis resignatione, & suijpsius cognitione. Et hinc incidunt in laqueos superbiæ, fabricantque sibi in Intellectu suo quodpiam velut Idolum propriæ sapientiæ, in cuius consideratione tantopere se suis cogitationibus inuoluunt, vt aliorum consilijs se

se nullatenus indigere iudicent.

Huiusmodi sanè homines in graui versantur periculo, difficulterque curari possunt: quòd superbia Intellectûs periculosior multò sit quàm voluntatis. Nam qui sola voluntate superbit, is non omittit obedire quandoque: quia aliorum Iudicia præfert suo, æstimatque meliora. Qui autẽ superbit Intellectu, atque apud se statuit, suam sententiã meliorem esse sententijs cæterorum, quis eum emendare poterit? Nunquam enim se submittet sententiæ aliorum, dùm

dùm putat ſe rectius ſapere illis.

Docti errantes difficulter emendantur.

Quippe ſi Intellectus (qui animæ oculus eſt, quo ſuperbiam in ea latentem, videre debet atque corrigere) ipſemet cœcus, omnique ſuperbia plenus ſit: quis eum vnquam emendare poterit? Si lumen ipſum tenebræ ſunt, ipſáque regula curua eſt; intelligis facile quid inde ſequatur, & quis eorum finis futurus ſit. Tempeſtiuè ergo te huic Superbiæ oppone anteaquam occupet intima tua: & noli Intellectui tuo habenas laxare, ſed ſubijce eum conſilijs,

lijs, iudicijsque aliorum: & fias apud te ipsum stultus propter amorem Dei: sic eris sapientior ipso sapientissimo rege Salomone: implebisque illud cõsilium Apostoli: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. 1. Cor. 3.

CAP. V.

De Voluntate; deeq; fine in quem omnes actiones nostras debemus dirigere.

Di-

Dilecte fili, si optas vnus cum Deo fieri spiritus, nō sufficit pia promptaque volū-tas quodlibet bonum faciēdi: nisi à DEO excitatus atque adiutus, totum quod agis, etiam ad beneplacitum honorēque ipsius retuleris. Qua in re nobis multùm certandum est cum Natura nostra; quæ in omnibus actionibus, omissionibusque nostris; proprium suum commodum aut complacentiam quærit; præsertim in bonis spiritualibus. In his enim vel maximè seipsam gestit quærere.

Omnia ad beneplacitum & honorem Dei referēda. Natura nostra pernicies.

Vnde si ei quodpiam bonū,

ad

ad Dei beneplacitum accommodatum proponitur; promptè quidem illud agendum suscipit: at non propterea quòd placeat Deo, aut ab ipso pronenat; sed quia nouit vtilitates ac commoda, quæ contingunt homini facienti voluntatem Dei.

Quamobrem vt ex hoc diaboli laqueo te extrices, eumque deinceps, tanquam perniciosum impedimentum in via perfectionis, sedulò caueas: atque paulatim adsuescas omnia agere aut omittere, quòd Deus sic iubeat: eaque sola intentione, facias, vt ipsi placeas: (Hæc enim duo in o- *Duo in omni actione spectāda.*

mnibus cogitationibus, verbis, & actionibus nostris initium, medium & finem obtinere debent:) Idcirco ad ea, quæ tibi iam dicturus sum diligenter attende.

Ante opus deliberandum quid faciendum.

Si occurrit tibi quidpiam faciendum, quod diuinæ voluntati congruit: non antea voluntatis tuæ consensum ad illud faciendum adhibebis, quàm Intellectum tuum in Deum intenderis, indeque manifestè cognoscas, esse Dei voluntatem vt illud facias: & esse quoque voluntatem ipsius, vt id facias duntaxat propter ipsius honorem ac beneplacitum. Quodque voluntas

tua

tua à diuina voluntate eò moueatur, vt istud opus hac intẽtione & causa sola facias, quòd ipse Deus sic velit, propter honorem ac gloriam suæ sanctissimæ Maiestatis.

Similiter si quid per voluntatem tuam vis omittere aut repellere tanquam inconueniens diuinæ voluntati, non statues illud apud te donec oculum Intellectûs tui (ut modò declaratum est) in Dei voluntatem direxeris. Deinde obserua teipsum diligenter ne decipiaris: quoniam videberis tibi sæpe hoc, illudúe agere aut omittere propter voluntatem

tem ac beneplacitum Dei: cùm aliud in te lateat. Natura enim nostra adeò occultè seipsam, in nostris studijs & actionibus quærit: vt quæ putas tibi ob solius Dei amorem placere aut displicere; in ijsdem potius tuam vtilitatem solùm spectes.

In principio itaque omnium actionum tuarum exclude ac repelle abs te quatenus poteris, omnem intentioně, cui aliquid priuatæ vtilitatis admixtum est: nec agere aut omittere quicquam incipias, donec interius in animo tuo cognoscas, solam Dei voluntatem ac beneplacitum te mo-

mouere & impellere, vt opus istud aggrediaris atque perficias.

Si autem otij ac temporis tantum habere non possis, ut ante vnumquodque opus faciendum, huiusmodi intentionem, causasque mouentes in te excites ac ponderes: cura saltem vt quando per diem dabitur occasio, huiusmodi intentionem in te suscites: scilicet, quòd in omni actione & omissione tua, solius Dei beneplacitum, honoremq; spectare velis ac quærere. In negotijs autem quæ aliquam tẽporis moram postulant, Intẽ-

Intentio cuiusmodi habenda in omni actione.

pariter & voluntatem obtineat imperium. Scilicet his qui docti sunt, ingenioque pollẽt; suggerit sublimes atque subtiles cogitationes, vt se iã putẽt cum Deo vnitos esse: atque sic obliuiscantur suijpsorum, nihilque cogitent de emundatione conscientiarum, de propriæ voluntatis resignatione, & suijpsius cognitione. Et hinc incidunt in laqueos superbiæ, fabricantque sibi in Intellectu suo quodpiam velut Idolum propriæ sapientiæ, in cuius consideratione tantopere se suis cogitationibus inuoluunt, vt aliorum consilijs

ſe nullatenus indigere iudicent.

Huiuſmodi ſanè homines in graui verſantur periculo, difficulterque curari poſſunt: quòd ſuperbia Intellectûs periculoſior multò ſit quàm voluntatis. Nam qui ſola voluntate ſuperbit, is non omittit obedire quandoque: quia aliorum Iudicia præfert ſuo, æſtimatque meliora. Qui autẽ ſuperbit Intellectu, atque apud ſe ſtatuit, ſuam ſententiã meliorem eſſe ſententijs cæterorum, quis eum emendare poterit? Nunquam enim ſe ſubmittet ſententiæ aliorum, dùm

dùm putat se rectius sapere illis.

Quippe si Intellectus (qui animæ oculus est, quo superbiam in ea latentem, videre debet atque corrigere) ipsemet cœcus, omnique superbia plenus sit: quis eum vnquam emendare poterit? Si lumen ipsum tenebræ sunt, ipsáque regula curua est; intelligis facile quid inde sequatur, & quis eorum finis futurus sit. Tempestiuè ergo te huic Superbiæ oppone anteaquam occupet intima tua: & noli Intellectui tuo habenas laxare, sed subijce eum consilijs,

Docti errantes difficulter emendãtur.

lijs, iudicijsque aliorum: & fias apud te ipsum stultus propter amorem Dei: sic eris sapientior ipso sapientissimo rege Salomone: implebisque illud cōsilium Apostoli: Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi, stultitia est apud Deum. 1. Cor. 3.

Cap. V.

De Voluntate: deeq; fine in quem omnes actiones nostras debemus dirigere.

Dilecte fili, si optas vnus cùmDeo fieri spiritus, nõ sufficit pia promptaque volũtas quodlibet bonum faciẽdi: nisi à DEO excitatus atque adiutus, totum quod agis, etiam ad beneplacitum honorẽque ipsius retuleris. Qua in re nobis multùm certandum est cum Natura nostra, quæ in omnibus actionibus, omissionibusque nostris; proprium suum commodum aut complacentiam quærit, præsertim in bonis spiritualibus. In his enim vel maximè seipsam gestit quærere.

Omnia ad beneplacitum & honorem Dei reserẽda. Natura nostra pernicies.

Vnde si ei quodpiam bonũ,

ad

ad Dei beneplacitum accommodatum proponitur; promptè quidem illud agendum suscipit: at non propterea quòd placeat Deo, aut ab ipso proponatur; sed quia nouit vtilitates ac commoda, quæ contingunt homini facienti voluntatem Dei.

Quamobrem vt ex hoc diaboli laqueo te extrices, eumque deinceps, tanquam perniciosum impedimentum in via perfectionis, sedulò caueas: atque paulatim adsuescas omnia agere aut omittere, quòd Deus sic iubeat: eaque sola intentione, facias, vt ipsi placeas: (Hæc enim duo in omni- *Duo in omni actione spectãda.*

mnibus cogitationibus, verbis, & actionibus nostris initium, medium & finem obtinere debent:) Idcirco ad ea, quæ tibi iam dicturus sum diligenter attende.

Ante opus deliberãdum quid faciendum.

Si occurrit tibi quidpiam faciendum, quod diuinæ voluntati congruit: non antea voluntatis tuæ consensum ad illud faciendum adhibebis, quàm Intellectum tuum in Deum intenderis, indeque manifestè cognoscas, esse Dei voluntatem vt illud facias: & esse quoque voluntatem ipsius, vt id facias duntaxat propter ipsius honorem ac beneplacitum. Quodque voluntas tua

tua à diuina voluntate eò moueatur, vt istud opus hac intẽtione & causa sola facias, quòd ipse Deus sic velit, propter honorem ac gloriam suæ sanctissimæ Maiestatis.

Similiter si quid per voluntatem tuam vis omittere aut repellere tanquam inconueniens diuinæ voluntati, non statues illud apud te donec oculum Intellectûs tui (ut modò declaratum est) in Dei voluntatem direxeris. Deinde obserua teipsum diligenter ne decipiaris: quoniam videberis tibi sæpe hoc, illudúe agere aut omittere propter voluntatem

tem ac beneplacitum Dei: cùm aliud in te lateat. Natura enim nostra adeò occultè seipsam, in nostris studijs & actionibus quærit: vt quæ putas tibi ob solius Dei amorem placere aut displicere; in ijsdem potius tuam vtilitatem solùm spectes.

In principio itaque omnium actionum tuarum exclude ac repelle abs te quatenus poteris, omnem intentionẽ, cui aliquid priuatæ vtilitatis admixtum est: nec agere aut omittere quicquam incipias, donec interius in animo tuo cognoscas, solam Dei voluntatem ac beneplacitum te

mo-

mouere & impellere, vt opus istud aggrediaris atque perficias.

Si autem otij ac temporis tantum habere non possis, ut ante vnumquodque opus faciendum, huiusmodi intentionem, causasque mouentes in te excites ac ponderes: cura saltem vt quando per diem dabitur occasio, huiusmodi intentionem in te suscites: scilicet, quòd in omni actione & omissione tua, solius Dei beneplacitum, honoremq; spectare velis ac quærere. In negotijs autem quæ aliquam tẽporis moram postulant, Intẽ-

Intentio cuiusmodi habenda in omni actione.

tio iſta omninò & expreſsè ante principium eorum debet animo concipi.

Quin etiam in negotijs quę aliquandiu durant, iſthæc intentio à principio vſque ad finem aliquoties iteranda eſt: ne poſt initium, alia fortaſſe intentio in animum tuum tacitè irrepat: vtq; ſic effugias occultas fraudes Naturæ tuæ, quę nimium prona eſt ad quęrendum commoda ſua: adeò, vt tametſi bona, puráque intentione opus cœperis; ipſa tamen in operis medio iſtam tuam intentionem bonam inuertat, & ſeipſam: id eſt, pro ho-

honore Dei, suam quærat vtilitatem ac honorem.

Omnis ergo Dei seruus, qui in hac difficili pugna non egerit vigiles excubias, sæpe op° bonum incipiet, cum intentione implendi voluntatem Dei, iuxta ipsius diuinissimæ Maiestatis beneplacitum. Sed postea, priusquã animaduertat, opus istud ipsi tantopere propter seipsum placere incipit; vt voluntatis gloriæ ac honoris Dei prorsus obliuiscatur. Sensim quoque à proprijs oblectationibus, commodis, honoribus (quæ ex isto opere percipit aut expectat) vsque *Deceptio cauenda.*

adeò conturbatur, fascinatur, abstrahitur; vt si Deus ipsum aut per infirmitatem, aut per homines, aut modo quocunque alio ab istis priuatis commodis impediat, protinus vehementer conturbetur, tristetur, inquietus reddatur: valdéque difficulter seipsum reuocare possit, vt redeat ad primam Intentionem suam, faciendi quod Deus iussit pro ipsius solius honore ac gloria.

Intẽtio quod-libet Quã quidẽ Intentionẽ valdè solicitè custodies in omnib. actionib. & omissionibus tuis. Vix n. credas quantum roboris, virtutis ac meriti ea afferat.

rat. Nam minima quoque & *opus cõmendat.*
quantumlibet vilia opera, hac
intentione (vt placeant DEO
propter honoré nominis sui)
ab homine facta; plus apud
Deum valent atq; merentur,
quàm maxima quæque opera
sine hac intentione præstita.
Ita iussit Apostolus: Siue ergo *1. Cor. 10.*
manducatis, siue bibitis, aut
aliud quid facitis: omnia in
gloriam Dei facite. Et alibi:
Omne quodcunque facitis in *Col. 3.*
verbo aut in opere, omnia in
nomine Domini Iesu Christi:
gratias agentes Deo & Patri
per ipsum. Huiusmodi fuit et- *Ps. 72.*
iam intentio Prophetæ ac Re-

gis Dauid, cùm diceret: Qoid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram.

CAPVT VI.

De duplici voluntate in homine: & earum continua inter se pugna.

Voluntas rationalis. SCire oportet te, dilecte fili, duas in nobis esse voluntates: alteram Rationis, quæ & rationalis, & superior voluntas dicta est: alteram Sensualitatis, quæ dicitur sensualis ac inferior voluntas: Itemque Sensualitas, Appetitus, *Sensualitas.*

Con-

Concupiſcentia, Caro, Paſſio, & alia his ſimilia.

Eſt quidem vtraq; hæc voluntas hominis & in homine: ſed cùm ob ſolam facultatem Rationis homines dicamur ac ſimus; nunquam aliquid voluiſſe (vt vt Senſualitas illud velit ac appetat) dici, haberique debemus; donec ſuperior voluntas noſtra, quæ cum Ratione coniuncta eſt, in iſtud cōſentiat, ac pariter velit.

Sola voluntas rationalis hominē commēdat, aut reum facit.

Ex hac varietate oritur vniverſa noſtra ſpiritualis pugna. Nam cùm ſuperior voluntas noſtra ac Ratio, media ſit inter voluntatem Dei, quæ ſu-

Pugnæ Chriſtianæ cauſa.

pra eam eſt, & Senſualitatem, quæ ſub ea eſt, ipſamque indeſinẽter ad malum tentat ac allicit: Idcirco vtraque & Dei voluntas, & Senſualitas noſtra, contendunt voluntatem noſtram ad ſuas partes pertrahere; & nunc quidem illa, nũc hæc eam ſibi ſubijcere & obedičtem reddere molitur. Hãc pugnam nobis manifeſtauit S. Paulus Apoſtolus, cum diceret: Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur: vt non quæ vultis, illa faciatis. Et alibi. Condelector

Gal. 5.

enim

enim legi Dei ſecundum inte- *Rom. 7*
riorem hominem: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.

Nihilominus omnibus hominibus, qui aut virtutibus verè ſunt præditi, aut è contrario in peccatis ſuis perſeuerãt; pugna iſta haud difficilis accidit. Qui enim virtutibus ſunt præditi, hi poſtquam Dei voluntatem intelligunt, mox eidem conſentiunt, obmurmurantemque Senſualitatem cõpeſcunt. Impij autem contrà,

Pugna hæc aliquibus facilis.

Senſualitatis ſuæ appetitum ſequuntur, & contradicentem voluntatem Dei non audiunt. Sed illis, qui hactenus quidem peccatis fuerunt dediti, nunc autem ea deſerere, atq; à mũdi & carnis ſuæ delitijs, (ut deinceps in amore ac cultu Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, vitam piè tranſigere queant) ſemet proponunt ſegregare: pugna hæc ſatis difficilis accidit.

Pugna hæc q. bus difficilis.

Quoniam interior inſpiratio ac pulſus, quem ipſorum Ratio supernè à volũtate Dei ſuſcipit: & graues contradictiones ſeu motus aduerſantes,

vel

vel tentationes, quas infernè à sua Sensualitate debet tolerare; vtrinque tam potentes sunt, vt Ratio inde in graues redigatur angustias: meritoque cũ Apostolo clamare possit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? *Rom 7.*

Nemo autem se feliciter pugnare arbitretur, Deoque dignè seruire; nisi probè instructus ac paratissimus sit ad æquanimiter tolerandos oẽs dolores, quos ob derelictas priores suas voluptates transitorias, perniciosasque (cùm quibus iam rationalis volun- *Quis legitimè certet.*

tas

tas eius certat) in seipso experitur. Etenim inter alias hæc præcipua causa est, cur multi ad Perfectionem veram non perueniant, quòd doloribus, quos in principio conuersionis suæ & derelictionis prauorum affectuum ac desideriorũ, in seipsis præter spẽ sustinent; nolunt resistere, nec contra eosdem (quòd more truculẽtorum militũ p insidias ipsos inuadant) Rationis gladio volunt pugnare: sed potius miserè turpiterque dant terga, armáque abijciunt, & in hostium manus, durius deinceps tractandi, denuò se vinctos tradunt. Et

Causa relapsus.

Et hinc deprehenditur quidam valdè periculosus, nec minus perniciosus dolus, quem perpauci animaduertũt. Multos enim videre liceat, qui dũ vitam spiritualem inchoant; initio actiones suscipiant, quę ipsis præ alijs gratæ sunt: cùm potius hãc vitam inchoare deberent à notitia naturalium affectuum ac desideriorum Sẽsualitatis suæ: primumq́; contra ista certamen subire ac ꝑsequi, donec Rationis imperio ea penitus, quaten⁹ in hac quidem vita fieri potest, subiecissent.

Vnde spiritualis vita inchoanda.

Ca-

CAPVT VII.

De pugna contra affectus Sensualitatis: deque Interiori exercitatione Voluntatis ad comparandas virtutes.

Vt pugnandum contra Sensualitatẽ.

QVotiescunque ab appetitu Sẽsualitatis tuæ te sentis tentari, confestim animum tuum vertas ad Deum, q̃ te sic excitat: quantumque vales repugna. Vt autem in hac pugna contra Sensualitatem tuam victor euadas, hoc ferè modo contra eandem te instrues. Videlicet mox vbi tentatio à Sẽsu-

ſualitate exurgit, fortiter eam repelles, ne ſuperior voluntas ſeu Ratio, in eam conſentiat,

Deinde cum aliquam talẽ tentationem ſic ſuperaueris atque reieceris, denuò eandẽ in te ſuſcites,&pari feruore vt antea eam repellas. Idemq; fac iterum, iterumque; vt toties maiori zelo eandem abomineris, repellas, atque contemnas. Et hunc conflictum ſuſcipies cum omnibus tentationibus, affectibuſque inordinatis Senſualitatis tuæ, prætérquam cum carnalibus: de quib⁹ dicemus inferius ſuo loco.

Po-

Studia virtutum tẽtationibus opponenda.

Poſtremò aſſumes tibi exercitia virtutum illarum, quæ tentationibus vitiorum iſtorũ aduerſantur. V[illegible]gratia. Tẽtaris ab Impatientia: cumque mentem tuam ad interiora reuocaueris, apertè cognoſces, tentationem hanc impatientiæ inceſſanter pugnare, contendereque cum voluntate ſuperiori ſeu Ratione tua, vt eam à pugna deterreat, & ad conſenſum pelliceat. Propterea tantò pertinacius Rationis tuæ virtute eidem tentationi contradices ac repũgnabis, ne in eam conſentiat: atque ab hoc labore repugnandi non de-

desistes, donec hostem in te senseris deuictum, ac tibi iam in captiuitatem traditum.

Sciendum tamen est, hostẽ nostrum, cùm nos huiusmodi passionibus ac desiderijs constanter viderit rebellare, perfida calliditate ab ijsdem suggerendis nonnunquam desistere: Quodque amplius est, si eas quandoque in nobis suscitet, mox iterum supprimere: ne si frequentius Rationis beneficio contra easdem dimicauerimus, istas nobis Virtutes comparemus, quæ huiusmodi passionib⁹ sunt contrariæ. *Dolus diaboli pessimus.*

Quam-

Pugna, etiam cessante hoste, instaurāda.

Quamobrem cautum te esse oportet, ne occasio acquirendi virtutes in te negligatur. Si ergo cum hoste inducias statuisti, & iam apud temetipsum quietus es; reuoca tibijpsi in memoriam tentationes iam superatas & exclusas: simulq; & cogitationes malas quas ante illud tempus habuisti, in te instaura, atque erga easdem sic te geras ac si consentire, ijsque victoriam velut concedere velles: simulque diligenter attendas, quænam argumenta, quasúe rationes hostis malignus tibi suggerat, ad quod malum te instiget, & quomodo

do eius prauis ſuggeſtionibus apud te cogites morem gerere. Cumque inter hæc ſenſeris cordis motus in te aſcendere & augeri : cogitationeſque malas iam prope tibi dominari : adeò vt & Ratio ipſa quaſi conſenſiſſe videatur : tūc pedem mox retrahe, & magna vi ſuſcita in te cogitationes bonas, iſtis malis contrarias, & quicquid hæ tibi mali ſuggeſſerunt, audacter pernega. Et huiuſmodi conflictum vtrarūque cogitationum, toties, tāque diu in te renoues, donec ſentias te iam totum teipſum viciſſe.

Sed

Sed præterea ſciendum, etiamſi hoſtes noſtros fortiter pugnando; quod pium, iuſtũque eſt; ſuperauerimus: nondum tamen nos ab eis ſecuros eſſe, donec odio perfecto eos oderimus. Quod odium contra eoſdem vt in nobis excitetur, creſcat, perficiatur; oportet eos id eſt, noſtros prauos affectus, iterum iterumque in nobis ſuſcitare, & ad certamẽ prouocare; vt ſubinde cum maiori indignatione ac tædio ſpiritûs eos repellamus & abominemur, donec verum ac conſtans odium erga eoſdem in nobis experiamur.

Vt

Vt verò animam tuam etiā ornare possis virtutibus, non sufficit te cum prædictis exercitationibus spiritualibus pugnare contra passiones, affectúsque malos: sed oportet te quosdam etiam affectus bonos & exercitia virtutum, ijsdem passionibus contrariarū, suscipere, in ijsque sedulò, frequenterque occupari. Hoc ferè modo. Si quis tibi causam dedit Impatientiæ: non sat erit, impatientiæ motus, iuxta præcedentem doctrinam superare ac repellere: sed optare quoque debes ac petere, vt ab eadem persona, quæ tibi *Vt virtutis acquirenda.*

moleſtiam intulit, denuò eodemque modo ſæpius turberis: quinetiam teipſum compelles, vt moleſtiam iſtam gratam habeas: propoſitumque concipies huiuſmodi moleſtias plures, ac grauiores deinceps ſuſtinendi. Quodque his amplius eſt, etiam coges te, vt cum ea perſona, quæ tibi moleſtiam, è qua adimpatientiam concitatus es, intulit: amanter, ſuauiterque loquaris, eique in omnibus gratificandi, inſeruiendique promptitudinem deferas.

Ac licet huiuſmodi exercitationes tibi valde difficiles fu erint,

erint, tamq; frigidè abs te præstari videas; vt ipsemet deprehēdas, eas cōtra voluntatē tuam à te fieri; nullatenus tamen eas intermittes. Quanquam enim difficiles tibi sint, conseruant te tamen fortem & audacem in prælio, viamque parāt ad victoriam. *Vtilitas barum exercitationũ.*

Præterea attende tibi diligenter, vt non solùm contra graues ac vehementes tentationes, contraque manifesta scelera sic pugnes: sed & contra quaslibet leuissimas, minimasque inordinatas passiones ac motus. Hi enim istis grauioribus fores aperiunt, vi- *Etiam leuib9 tentationib. resistēdum.*

amque sternunt, vt nos incautos inuadant, & ad pessima quæque vitia solicitent. Contingit enim his, qui leuioribus motibus seu tentationibus ad vitia, negligentius resistunt; vt postea frequēter & ex improuiso ipsos inuadant multò grauiores tētationes; & impetuosius quidem quàm vnquam antea.

Tandem quoque tibi pugnandum est contra affectus & desideria rerum licitarum, honestarumque, quas scis tibi non esse necessarias. Inde enim & exercitatior redderis in palæstra hac spirituali, &

gra-

gratum Deo præſtabis obſe-
quium.

Dilecte fili, apertè tibi nũc
dico, ſi iuxta præſcriptos mo-
dos teipſum in hac ſpirituali
pugna exercitaueris, futurum
breui, ut adiuuante gratia Dei,
totus ſpiritualis efficiaris. Re-
liquas verò exercitationes, et-
iam ſi tibi laudabiles videãtur,
tantaque cum ſuauitate ac dul
cedine mentis abs te fiant, vt
iam putes te cũ crucifixo tuo
Domino Ieſu Chriſto familia-
riter velut colloqui: velim ta-
men tibi perſuadeas, nunquã
iſtas delectationes te iuuare

ad consequendam perfectio-nem spiritûs.

Nam sicut vitia in nobis inde originem trahunt, quòd superior voluntas, seu Ratio nostra, inferioribus affectib⁹ Sensualitatis morem gerit atque indulget: Ita è contrario generantur in nobis Christianę virtutes, si voluntatẽ nostrã sæpius diuinæ voluntati submittimus, eique morem gerimus ac obtemperamus.

Et sicut voluntas nostra nõ potest bona, Deoq́ue placens esse, (quantumcunque bonas ac sublimes inspirationes à Deo accipiat, & ab eius volun-

luntate ac gratia ad faciẽdum bonum impellatur,) nisi eisdem Dei operationibus in se consentiat: ita & eadem volũtas nostra nunquam potest dici mala & aliena à Deo (quantumcunque grauiter ac diu à Sensualitate tentetur, turbetur, impellatur) nisi eidem consenserit.

Cap. VIII.

Quid faciat, cui videbitur superior voluntas sua seu Ratio, ab inferiori voluntate seu Sensualitate, iam deuicta, eidemque omninò subiecta.

DIlectè fili, si tibi nonnunquam videatur voluntas tua superior seu Ratio, in pugna contra Sensualitatem tuam nihil efficere; quòd nullũ efficacem motum contra prauos affectus in te deprehẽdas; noli turbari, sed viriliter persiste, & constanter pugnare ne cesses. Nam quamdiu Ratio tua se à consensu in istiusmodi affectus Sẽsualitatis tuæ cohibet; tamdiu tu hostibus superior es in prælio, melioraque eis obtines.

Cõtra torporem.

Non tẽtari, nõ est p-

Non enim tibi necessum est, vt omnes affectus ac motus Sensualitatis in te, Rationis

nis tuæ imperio mox acquie- scant: nec in hoc nostra con- sistit victoria, vt nullos prauos motus Sensualitatis in nobis sentiamus. Sufficit autē quòd Ratio ac voluntas nostra (quā- tumcumque Sensualitas inor- dinatis motibus suis in nobis, sæuiat) semper possit facere & omittere, tractare, velle ac de- siderare quodcunque, quan- do, quomodo, quoties, & ex causis quibuscumque volue- rit. Quinimò nec diabolus ipse, neque Mundus totus vo- luntatem hanc nostram vnquā cogere possunt.

fectio- nis in- diciū.

Et licet nonnunquam eue-

Quomodo repentinis ac vehemētib. tentationib. obuiandum.

niat vt hostes tui ex improuiso, & cum tanto impetu ac violentia in te irruant, adeò vt Ratio tua tempus non habeat, cogitationes ac exercitia pia, quæ istis violentis motib⁹ repugnarent, in se ipsa suscitare: tantùm tunc vtere lingua tua, & dic: Non, non credo tibi, Nolo te, Non consentiam tibi in hoc in æternũ. Sic, inquam, te tunc geras, sicut q ab hostib. suis exterioribus ex improuiso obruitur. Is enim cùm se capulo gladij tueri non potest, resilit aliquantulum vt locum & tempus habeat, gladium suum euaginādi,

di, & hostem cuspide petēdi. Resilias ergo & tu, vt habeas tempus agnoscendi vilitatem tuam; videlicet quòd ex teipso nullatenus possis superare: simulque & spem atque fiduciam omnem collocandi in Deum, qui potest omnia. Atque tunc validum ictum hosti inflige, dicens: Domine adiuua me. O Deꝰ meꝰ succurre, succurre misero mihi. O Iesu. O MARIA, dignissima mater Dei, fer opē periclitanti. Et si quid temporis habeas reliquū poteris voluntatem tuam ne vincatur, Intellectu tuo nonnihil iuuare: considerando ea

media. quibus ipsa volūtas tua contra hostes suos corroborari possit.

Vt si quandoque contingat te propter aliquam tribulationem, graui Impatientia affici, adeò vt voluntas tua eam ferre aut dissimulare neque velit, neque possit: confestim suscipias sequentes cogitationes. Primùm, num aduersitatem hanc commerueris: & si inuenis te eam commeruisse, aut causam ei dedisse; protinus quiescas animo, nec porrò turberis: quoniam æquum, ac iustum est, vt vulnus, q tu- is

Remedium impatiētiæ.

is ipse manibus tibi inflixisti, patienter sustineas.

Si autem intelligis te aduersitati huic causam nõ dedisse, tunc conuertes oculos mentis tuæ ad alia peccata tua, ob quę tu teipsum hactenus non vt debueras, afflixisti. Inde colliges: quòd benignus ac misericors Deus, tibi vel pœnam æternam, quam in inferno, vel temporariam, quam in Purgatorio sustinere deberes; in hãc paternam ac mitem castigationem commutauerit. Propterea que æquissimum esse, vt non solùm placida mente sustineas, sed & pro tanto be-

neficio eidē gratias agas. Tertiò, si tibi videbitur, te pro leuibus peccatis satis magnam duramque pœnitentiam egisse: (quod tamen nunquam apud te statues:) iterum cogita, neminem in regnum cœlorum posse intrare, nisi per angustam portam abnegationis suijpsius, & patientiæ in varijs tribulationibus. Nam & Christus Dei filius, saluator noster, omnesque Sancti Dei per hanc solam viam ingressi sunt in Cœlestem illam patriam.

Luc. 13.
Act. 14.
Heb. 12
1. *Pe.* 2. & 5.

Quartò, etiamsi posses per aliam viam intrare in regnum

cœ-

cœlorũ, tamen Charitatis iure ac debito, iſtud nequaquam optare debes. Nam ſi filius Dei, ex amore tui, & propter patientiæ exemplum, per ſpinas & crucem ingreſſus eſt in gloriam ſuam: nonne & te ex amore in ipſum, per tribulationes multas illò contendere dignum eſt?

Quintò apud te ſtatues, inter omnes meditationes, quãtumcunque pias, in quibus te exerceri oportet, vt voluntatem tuam in his, alijſque euẽtis ac neceſſitatib. tuis, quàm optimè confortes; hanc præcipuam ferè eſſe, ſi cogites quan-

quantum gaudium atque læ-
titiam capiat Deus, quàm ce-
lebre festum agat, quàm largo
te prosequatur amore: si te vi-
deat nomine suo tam strenuè
pugnare. Non potest enim ipsi
quicquam gratius abs te fieri,
quàm si praua in te desideria
mortifices ac eradices, & è cō-
trariò virtutum studia sectaris:
idque propterea, quia scias
ipsius hanc esse voluntatem
ac beneplacitum.

Itaque, iuxta iam traditam
doctrinam, para tibi tanquam
strenuo militi, qui propter
Deum iam ingressus es prælium; cor virile ac constans: vt
ali-

aliquid magni obſequij, tanquam inſignis heros, Domino Deo tuo præſtare poſſis.

CAPVT IX.

De occaſione pugnæ non fugienda.

Dilecte fili, omnibus tibi à me hactenus propoſitis medijs ad conſequẽdas virtutes, addo tanquam memoriale quodpiam: ne occaſiones pugnæ tibi occurrentes, metuas atque declines. Nam ſi virtutem quampiam (exempli loco, Patientiam) conſequi vo-

volueris: non expedit tibi, vt te ſegreges à perſonis: vel eas res (vt verba, opera, cogitationes repellas aut fugias,) q̃ te ad impatientiam commouent. Non fugias, inquam, ſed potius optes, quæras, ames conuerſationem ac ſocietatem eorum, qui tibi moleſtias afferunt. Et quotieſcunque tibi cum eis conuerſandum eſt, præpara te, tuamque voluntatem ſerua inſtructam atque paratam quaslibet tribulationes atque moleſtias, quæ ab eiſdem tibi afferri poterunt, patienter ſuſcipiendi, ſuſtinendique.

Hoc

Hoc ni feceris, nunquam assuefies ad consequendam Patientiæ virtutem. Similiter si te alicuius operis tæduerit, durumq; nimis videatur:(propterea ꝙ vel persona præcipiens tibi displiceat: vel quòd opus ex sese molestum sit: vel quòd per illud ab opere alio, quod faceres libentius, impediaris) nullatenus tamen op⁹ istud intermittes, sed præ cæteris omnibus exequêris, etiamsi te plurimùm conturbet atque diuexet. Tametsi etiam eius intermissio te denuò quietum, placidumque reddat; nequaquam tamen ab eo faciendo

endo desistes. Sic enim magis magisque instructus fies ad assequendam virtutem Patientiæ. Illa enim quies quam tibi sic optas, non esset recta ac vera, quòd non proficisceretur à corde puro, & ab omni inordinata passione incontaminato.

Cogitationib. malis quatenus resistendum.

Idem te moneo ac doceo de cogitationibus, animũ tuum quandoque turbantibus ac contristantibus. Videlicet, ne eas vnquam à te in totum repellas, sed vt gratos hospites sedulò custodias: Cumque à cæteris negotijs otium nactus fueris, eas reuoces in animum

mum tuum, & mox per volũtatis imperium iterum repellas. Qua exercitatione hoc cõsequeris, vt omnes deinceps aduersitates, placidò animo suscipere, sustinereque possis. Qui te autem, fili mi, docet aliter; is te potius fugere iubet in tribulationibus, quod à te pugnando quæritur: illã nempe virtutem, quam tu tibi ex victoria de hostibus exoptas.

Cæterum tyroni seu nouitio in hac spirituali palæstra, certamen hoc cum prauis cogitationibus cautè subeundũ est. Proinde aliquando quidẽ pugnabit cum ijs; aliquando

ve-

verò aſſumet alias: quatenus ſcilicet has aut illas ſibi plus, minusúe intelligit prodeſſe ad acquirendas virtutes. Et nunquam eiuſmodi moleſtas cogitationes prorſus dereliquet, aut fugiet; vt nihil inde turbationis, moleſtiæque in ſe ſentiat.

Non fugienda tentationes omnes.

Etiamſi enim per fugam earum, impatientię occaſionem præcidat; nullam tamen in corde ſuo firmitudinem inde nanciſcitur aduerſus Impatiētiæ motus inſurgentes. Quo fit, vt aliâs à ſatellitibus Impatientiæ imperitus ac territus, facile ſuccumbat; quòd ſibi de

armis

armis ad præliandum aduersus eosdem, non satis antea dispexit: id est, animum suum non imbuit cogitationibus, consilijsque seruandæ in omnibus aduersitatibus patientiæ. Et hęc quidem pugna non solùm contra impatientiam, sed cõtra quælibet vitia vtiliter suscipitur, præterquam contra carnalia, quæ aut fugienda citò aut explodenda, vt inferius trademus.

Capvt X.

De pugna aduersus subitas tentationes, paßionesq́.

DI-

Dilecte fili, si necdum assuetus es, subitas aduersitates atque molestias, placido vultu animoque suscipere; hoc ferè modo te eò assuefacere poteris. Nempe si eas Intellectu tuo diligenter consideraueris, voluntateque desideres experiri: semperq; eas instructus atqueparatus expectes.

Vt occurrendum subitis tentationibus.

Modus autem aduersitates istiusmodi per Intellectum cōsiderandi, hic ferè est. Attende diligenter statum, vocationemque tuam, locum quoque & personas, vbi & cum quibus te quotidie oportet con-

conuerſari: ſic cognoſces facile quæ tibi euenire poſſint, & quomodo animum tuum aduerſus ea corroborare debeas; ne inordinatè turbetur atque ſuccumbat. Et ſi fortaſſe contingat alia tibi euenire quàm putabas; nihilominus proderit tibi iſta animi tui corroboratio, etiam ad illa æquanimiter perferenda; quòd te iam ad Patientiæ virtutem aliquatenus inſtruxeris.

Audi & aliam te in hoc certamine muniendi rationem. Si videris vel audieris te contemni, aut moleſtia, aduerſitateque aliqua affici; confe-

ſtim etiam inuitus mentẽ tuã eleues in Deum, eiuſque immenſam bonitatem, dilectionemque erga te conſideres: ſic intelliges, ipſum eſſe præcipuam cauſam huius turbationis, anguſtiæque tuæ: eamq́ue propterea tibi immittere, vt doceat te eam propter amorẽ ſui patienter ſuſtinere, faciatque te ſibi magis magisque appropinquare, perfectiusque vniri.

Poſteaq́uam autem ſic cognoueris, eſſe diuinæ Maieſtatis beneplacitum, vt calamitatem iſtam placidè perferas: tunc conuerte cogitationem

nem tuam ad teipsum, incipiasque te arguere, dicens animæ tuæ: Eheu, cur hanc abs te crucem abijcere contendis, quam tibi non hic aut alius inimicus homo; sed dilectissimus, optimusque Pater tuus imposuit? His dictis, verte animum ad præsentem crucem seu calamitatem tuam, & cum S. Andrea Apostolo eam saluta, lauda, amplexare, & quãta potes alacritate & gaudio in te suscipe.

Quòd si etiam passiones ac motus tam vehementes in te exurgant, vt non sinant te mẽtem ad Deum eleuare, sed &

vulnerauerint te, & iam nonnihil superauerint: nihilominus perseueres tu in proposito tuo, ac si nullatenus superatus esses. Sic fiet, vt accepta vulnera, tibi deinceps sint loco armorum, quibus te instruas ad recuperandum quod aliâs perdideras, & ad fortiter resistendum passionibus iam dictis & alijs omnibus.

Aliud remedium cõtra subitas tẽtationes. Proderit tibi quoque in hac pugna contra impatientiam in subitis aduersitatibus, si psonas cum quibus te oportet conuersari, non æstimas apud te pro hominibus vulgaribus: sed imagineris tibi eos tanquã

San-

Sanctos è cœlo missos: Illos verò qui tibi præ cęteris aduersantur, tanquam optimos Patronos tuos: adeò, vt quicqd de eis senseris, & boni, malisque feceris; id apud te habeas tanquam in optimos Patronos tuos factum. Ac tandem oĩa quæ tibi ab istis inferuntur, nó aliter æstimes, quàm si tibi à Sáctis in cœlis illata essét. Per hãc enim exercitationem frequentabis in te memoriam Sáctorum, ita vt paulatim tibi videaris eosdem quasi coràm aspicere.

Insuperque hac exercitatione assuefies, omnia aduersa

tam placidè suscipiendi; vt nemo te per ea ad iracundiam prouocare possit: quoniã & præuisa, & accepta erunt tibi omnia. Et si quid graue iussus fueris facere; facies quàm promptissimè.

Causa tentationũ repellẽda.

Denique inter alia remedia aduersus subitas ac inexpectatas turbationes, facile præcipuum est, vt remoueas abs te causas, è quibus istiusmodi tẽtationes existunt. Vt si animaduertis, te ob amorem alicuius rei facile commoueri animo, si ab ea consequenda impediaris; cura vt amorem hunc erga rem istam animo tuo excludas.

das. Si autem turbatio, vexatioque tua, non ab ipsa re, sed à persona, quæ eã tibi infert, aut procurat, exoritur; eadem persona tibique tantopere inuisa est, vt etiam minima quæque ab ipsa profecta, te conturbent; tunc remedium erit optimum, vt teipsum, seu voluntatem tuam ad deamandũ eam compellas: quod & fiet quàm expeditissimè, si personam istam habeas tanquã pro optimo Patrono in cœlis: & omnia quæ fecerit tibi, ita suscipias atque si tibi euenirent (vt dictum est) à Patrono optimo. Huc sanè pertinet, quod

Christus Dominus ac Saluator noster iussit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos: vt sitis filij Patris vestri, qui in cœlis est. Rursus. Beati estis cum maledixerint vobis, & psecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me: Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.

Mat. 5.

Inimicorum dilectio,

Capvt XI.

De

De pugna contra carnem nostram, eiusque praua desideria.

COntra hoc genus vitiorũ, dilecte fili, nouo quodam & priori contrario modo tibi pugnandum est. Sunt autem præcipuè ac singulariter tria hîc spectanda. Primùm ea, quæ has tentationes antecedunt. Deinde ipsæmet cùm insurgunt. Tertiò ea quæ sopitis ijs obseruare oportet. *Quid hîc spectandũ*

Antequam ergo huiusmodi carnales tentationes in te exurgant, nunquam cum eis pugnam suscipies: Causas tamen è quibus oriri solent, diligenter vitabis & exscindes. *Occasiones vitandæ.*

Idcirco omnem conuersationem, quæ cum aliqua occasione ad has tẽtationes cõiũcta est, fugias quantum poteris, tametsi tibi videatur leuissima. Non aspicies huiusmodi homines aut res alias lepidè, non salutabis eos amãter, neque manus eorum comprimes: sed si quæ tibi cum aliqua tali persona tractãda sunt; ea grauiter, festinanterq́; perages: nec diutius cum ea conuersaberis, quàm sola ac nuda necessitas postulat.

Posthæc etiam vitabis otium: semperq́ue teipsum cautè obseruabis, ne quid cogites

aut facias, quod ſtatum tuum dedecet. Tertiò obediens eris tuo Superiori in omnibus, ne vnquam ei contradicas, ſed facias quæcunq; iuſſerit. Quartò nunquam temere iudicabis proximum tuum de hoc vitio: & licet eius peccatum adeò manifeſtum ſit; vt abs te non poſſit excuſari; tamen condolebis ei, omnemque iracundiam & contemptum aduerſum eum cohibebis: eiuſque lapſum in tuam potius vtilitatē conuertes: videlicet teipſum humiliando, contemnendo, ac ſub terram vſq; deprimendo: & præ timore cōtremiſcēs, *Rō. 14.*

Deum ardentiſſimè ora pro
Gal. 6. cuſtodia, ne & tu ſimiliter té-
teris atque labaris.

Si enim tu alios iudicaueris contempſeriſque, Deus te puniet magno tuo malo: videlicet permittendo, vt & tu in iſtud vitium prolabaris: indeque diſcas tuam ſuperbiam agnoſcere, ac te humiliare: indeque cures ſuperbiam iſtam in te ſupprimere, & excidere. Nam ſi ſuperbus ſis & non labaris, nõ leuiter de ſalute tua dubitandum eſt.

Securitas cauenda. Quintò ac vltimò attendas diligenter, ſi aliquando per ſenſibilem gratiam in te, ſpiritua-

tualem aliquã consolationem quæsiueris, obtinuerisq; ;ne in ea tibi placeas: neúe te inde meliorẽ iudices: nec putes te inimicos tuos deinceps non superaturos; sed semp solicit⁹ esto & time. Beatus n. homo, q semper est pauid⁹. Et q se existimat stare, videat ne cadat. *Pro. 28.* *1. Cor. 10.*

Alterum quod in hac pugna contra carnalia vitia spectandum diximus, est diligens obseruatio insurgentium tentationum. Si ergo eas in te senseris, confestim attende quánam ex causa proueniant: num ab rebus exterioribus, an ab interioribus. In exteriori- *Vt occurrendum carnalibus tẽtationibus insurgẽtibus.*

bus numerantur conuersatio, colloquia, lectiones & studia, quæ ad huiusmoditentationes irritant. Contra quæ omnia non est præsentius, vtiliusque remedium quàm eorum intermissio ac fuga. Cum his enim tentationibus non est suscipiendum prælium, sed longè fugiendæ sunt, ne mentem contaminent.

Interiores causæ existunt vel à corpore nostro, quòd nimis viuidum ac validum sit: vel à turpibus cogitationibus; quæ nūc à prauis moribus nostris, neglectaque sensuum custo-

ſtodia; nunc à diabolo in nobis excitantur.

Vt corpus noſtrum regendum.

Cauſas quas corpus noſtrũ præbet ad carnis vitia, præcidere oportet Ieiunijs, cilicijs, vigilijs, caſtigationibus, alijſq; medijs aſperioribus; quatenus vnicuique ſua Ratio dictat, aut Superioris autoritas mandat vel indulget.

Vt pellendæ malæ cogitationes.

Contra cogitationes autẽ turpes non ſunt media vtiliora, quàm Oratio ſancta, meditationes piæ, labores atque negotiorum tractatio, quæ ſtatum tuum deceant. Meditationes autem tuas nolim te inſtituere de ijs rebus, quas

ple

De Meditationibus non aptis.

plerique in ſuis ſpiritualibus libris præſcribunt volentibus hæc vitia ſuperare & excidere: nimirum vt initiò conſideres carnalium vitiorum turpitudinem atque libidinem, quæ nunquam queat exatiari. Deinde grandẽ ignominiam atq; pericula, quæ cum ijſdem cõiuncta ſunt. Tandem amiſſionem famæ, bonorum temporalium, fauoris ac benignitatis: Itemque diuinæ gratiæ in præſenti, & beatitudinis æternæ in vita futura.

Tametſi enim huiuſmodi meditationes bonæ ſint, non conferunt tamen ad horum vi

tio-

tiorum tentationes ſuperandas. Nam cum omnium iudicio, optimum ſtatuatur cōtra hæc vitia remedium, Fuga: idcirco fugere oportet quicquid vllam præbet turpibus cogitationibus occaſionem. At in iſtis, quas dixi, meditationibus, vt vt Intellectus ſe fatiget pro his vitijs deteſtandis, tamen cogitationes de iiſdem interea infigit memoriæ; vt vehementer timendum ſit ne labatur in aliquam earundem delectationem.

Quamobrem inſurgentib. tentationibus horum vitiorũ, aſſume tibi potius meditationes *Quæ meditationes*

nes

nes de passione ac morte Domini nostri Iesu Christi. Et si tentationes eæ te in his etiam meditationibus, contra voluntatem tuam infestent atq; perturbent: aut quomodocunq; te contra easdem armaueris; nihilominus semper nouam tibi molestiam, deceptionemque intentent; (quod tibi pariter vt alijs facile poterit evenire;) nequaquam tamen pusillanimis eris, aut susceptas tuas bonas meditationes intermittes: neque etiam cum istis te turbantibus cogitationibus vllo modo contendas: sed constanter pergas in medita-

ditationibus tuis, & volitantes istas cogitationes turpes, quasi ad te nihil pertineant, relinquas atque exibiles.

Et hoc quidem vnicum, optimumque remedium est, impuras istiusmodi cogitationes superandi, quantumcumque indesinenter te diuexent ac obruant. Et caue ne vnquam cum illis disputes an consenseris in eas, nec ne: quoniam latet in hac quidam diabolicus dolus, qui sub hac specie boni cupit te illaqueare & inuoluere. Quod aliâs, vbi fueris quietior, & hæ tentationes te molestare cessauerint, cognoscere

ſcere poteris facile à patre tuo ſpirituali. Cogitationes tamẽ iſtiuſmodi tuas non intermittes tuo Confeſſario expreſsè confiteri: nec te eius pudeat. Nam ad hoſtes noſtros ſuperandos, valde neceſſaria nobis eſt humilitas.

Oratio vt faciẽda.

Quod attinet ſanctam Orationem; quæ pariter medium quoddam eſt contra hæc vitia carnalia, & alia; ſcire te oportet, fili mi, eleuationem mentis in Deum, eſſe vtiliſſimam, ſemperque faciendam cum propoſito orandi Deum pro victoria contra hos tuos hoſtes. Caueas verò, ne tentationes

ones has, mentis tuæ cogitationibus coram Deo explices, quasi ostensurus ipsi quæ sit tẽtationum tuarum malitia & iniuria. Nam ex earum commemoratione, facilis in delectationem de ijsdem lapsus est.

De vtilitate sacræ lectionis, studiorum, & quorumcumq; honestorum laborum contra hæc vitia; non est quod te prolixè admoneam. Assiduè, ait quidã, Psalmis incumbas: Deus enim nominatus, dæmones expellit. Et alius. Ama scientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Item: Semper in manibus tuis sit diuina

Vtilitas exteriorũ laborũ.

Nilus in sent.

D.Hieron. ad Rust.

Ad Saluinam.

uina

uina lectio, vt omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiuscemodi clypeo repellantur. Rursus: Facito aliquid operis, vt te semper diabolus occupatum inueniat. Multam enim

Ecc.33. malitiam docuit otiositas. Et:

Ouid. cedit amor rebus, res age, tutus eris.

Denique, cum tentationes carnales iam te deseruerint, nequaquam in animum induces tuum, deinceps te ab ijs fore liberum atque securum: sed continuè tui curam habeas, ne quid eorum, quæ tibi ad easdem tentationes occasionem

onem præbent, in animum tuum admittas; etiamſi tibi fortè videatur conſultius cum iiſdem mente pugnare, proptér alicuius boni operis ac virtutis exercitium. Nam in tali perſuaſione latẽt doli corruptæ naturæ noſtræ & laquei diaboli ad inuoluendum animum, & pelliciendum ad aliquam delectationem.

CAPVT XII.

De pugna contra Acediam, negligentiam, pigritiam.

Di-

Dilecte fili, vt ab hoc perniciosio vitio tutior esse possis, omnem tuam industriam, diligentiam, viresque impendas, vt bonis inspirationibus locum apud te prompta voluntate concedas, omnemque terrenam consolationem curiositatem, & superflua negotia, quæ tuo statui non congruunt, declines.

Remedia cōtra hoc vitiū.

Cumque pro eo qui in hoc Acediæ vitium lapsus est, non inueniatur remedium præsentius, quàm operari bonum, à quo tamen ipse, vt piger (qui molestiàm ac fatigationem potius, quàm fructū laboris conside-

ſiderat) omninò abhorreat: Idcirco bonũ iſtud ſæpe mente verſabit, ſibique planè perſuadebit, vnicam mentis eleuationem in Deum, vnicamque genuflexionem, propter nomen ipſius factam, maioris valere, quàm cunctos theſauros totius mundi.

E contrario fatigationem ac moleſtiam, cum labore cõiuncta, adeò apud ſeipſum occultabit, vt longè minora, læuioráque appareant, quàm reuera fuerint: Vt ſi tibi quãdoque vacandum ſit pijs meditationibus vnica hora tota; idque tuæ pigritiæ nimis diu-

turnum atque molestum videatur: pio dolo tuo corpori persuadeas, tantùm dimidiatum quadrantem vnius horę te huic labori velle tribuere, moxque cessare. Quæ mora vbi transierit, iterum corpori tuo persuadeas, vt paulò diutius sustineat, tunc te cessaturum: idque toties repetas donec hora tota transierit.

Vt corpus nostrum laboribus assuefaciēdū. Vel ineas consilium cum corpore tuo, & interroga, nōne putet Deum de ipso tam bene meritum, vt in testimonium gratitudinis suæ erga ipsum, tam benignissimum Dominum ac Patrem suum, qua-

quadrantẽ horæ laboris quippiam exigui hîc ſuſtineat? Deinde ora ipſum tuum corpus denuò; vt in ſignum debiti amoris, erga Chriſtum Dominum ſuum, qui pro eo in cruce ſtetit atque pependit, aliũ quadrantem pariter ſuſtinere non grauetur. Pòſt roga vt tãtillum quoque ſuſtineat in ſignum amoris erga glorioſiſſimam Virginem matrem MARIAM: & iterum ob amorem erga Patronum ſuum. Hac exercitatione Acediam ſeu pigritiam eius facì è emendabis atque excuties.

Si autem in teipſo experi-

atis, corpus tuum laborem huiusmodi ferre non posse; licebit tibi eundem differre in aliud tempus, donec paulatim assuefeceris corpus, vt maiori alacritate ac feruore deinceps se ad istos pios labores accommodet.

CAPVT XIII.

Quomodo Sensualitatem suam homo regere debeat.

DIlecte fili, hoc age quàm attentissimè, vt Sensualitas tua, per quam diabolus ingredi solet in te, sit Ianua vera ac

ac patens, per quam ad te veniat Deus tuus. Et quando tibi cum aliqua terrena creatura quidpiam negotij est, noli eidem corde adhærescere, sed leua oculũ mentis tuæ ad Deum tuum, qui in creatura illa, tanquam in opere suo, latet absconditus.

Quomodo cũ creaturis conuersandũ.

Deinde excita in te quoq; memoriã Dei, & cogita quòd idem ipse Deus, etiam in te sit: atque tunc cum ipso sic loqui incipias. O clementissime, sempiterneque Deus meus, nõne tu mihi semper [illegible]sens ades, & penitius [illegible] ego mihimet ipsi præse[illegible]m? &

Deus contẽplandus in creaturis & laudandus.

ego nõ confundor tã obliuioſus & ingratus tibi eſſe, vt tui nunquam meminerim: neque te, eheu, diligam & colam vt debeo.

Aliàs quoque eleua Intellectum tuum, & contemplare ſummam, incomprehenſibilemque perfectionem Dei, & lætare in bonis, diuitijs, beatitudine ipſius abundantius, quàm ſi tua ſolius eſſent omnia. Exulta quoque gaudio maiori quòd ipſe ſit Deus incomprehenſibilis, cuius Maieſt[illegible] perueſtigare nequeas, q[illegible] eandem comprehendere, intelligereque poſſes. Porrò

Porrò si in creatura aliqua rationali obseruas quandam perfectionem virtutum & dona nonnulla, quæ ipsi à Deo benignè donata sunt: (vt sapientiam, intellectum, pietatē, iustitiam, & similia:) non cōsiderabis ea vt sunt in homine hoc, sed reducito ea ad Dominum Deum tuum, & dic: Deus meus, ecce hi sunt riuuli, qui ex te vero ac viuo, æterno, increato fonte dimanant: hæ sunt merces inexhausti maris bonitatis tuæ ineffabilis.

Si autem te sentis ob pulchritudinem alicuius creatu-

Vt res pulchræ consideran-dæ. ræ ad complacentiam allici, protinus cogitationes tuas à terrena pulchritudinis specie eleua ad pulchritudinem cœlestem, in eaque sola te oblectа, & dic: Deus meus, quando venient dies, vt in te solo queam delectari? Quàm dile-*Ps. 83.* cta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Quia melior est dies vna in atrijs tuis, super millia. Elegi abiect⁹ esse in domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis peccatorum.

Aliud remedium pro custodia ab inordinata delectatione

ne

ne in creaturis, sit hoc. Cùm te sentis ab re quapiam ad cõplacentiam, oblectationemque allici, confestim cum Intellectu tuo põdera quàm dolosè infernalis Serpens (qui nil aliud quærit quàm vt animam tuam aut occidat, aut saltem lætaliter vulneret) sub ista oblectatione lateat absconditus. Proinde vbi hoc deprehenderis, audacter dicito: Maledicte Serpens, quàm callidè hîc lates absconditus, vt me tuo veneno inficias? Et mox eleua mẽtem tuam ad Deum, dicens: Benedicta sit bonitas Dei mei in æternum, quæ mi-

Periculum cauendũ ab rebus pulchris.

hi hostem hîc latentem, animæque meæ dolosè insidiantem, tam benignè detexit.

Vt ferenda sint aduersa. In rebus verò quæ Sensualitati tuæ aduersantur, doloremque afferunt, ita te ferè exercitabis. Vbi eidem tuæ Sensualitati durum quid perferendum occurrit;) vt æstus, fames, ægritudo, plagæ & similia;) eleua mentem tuam ad voluntatem illam æternã, cui ab æterno ita placuit, & à qua tunc quoque decretum fuit, vt tu hanc aut illam calamitatem, hoc tempore & tanto cũ dolore paterêris, sicut nunc pateris. Idcirco ex cordis tui in-

iucunditate apud teipsum hęc dicito. O sempiterne, dilectissimèq; Domine Deus meus, iam tua in me impletur voluntas, qua tibi ab æterno placuit, vt hoc eodem tempore, & tali modo, mensura, numero mihi euenirét, quæ nũc sustineo: àtque id totum propter honorem ac gloriam tuam, & animæ meæ salutem. Scio enim quod nunquam ea mihi euenire permisisses; nisi ad gloriam tuæ Maiestatis illustrandam, & meam salutem plurimùm conferrent.

Similes quoque cogitationes tibi facies cœlo turbido, plu-

pluuio, niueo, & in quibuscunque alijs tristibus euentis, quæ ab hominibus impediri non possunt. Quia iustus Dominus, & rectum iudicium eius. Et Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit ita factum est: sit nomen Domini benedictum.

Ps. 118.

Iob. 1.

Quid faciendum in prosperis.

Si quid verò legis quod te delectat, itidem cogitationes tuas conuertas ad Dominum Deum tuum, in eoque solo te oblectes. Nimirum firmiter apud te statuas, ipsum sub ijsdem verbis quæ legis sese occultare, tibiq; suauiter per ea loqui.

Si-

Similiter quoties in animo tuo, cogitatus alicuius complacentiæ ac delectationis, ex quacunque re vel actione bona excitatur, protinus conuerte mentem in Deum, ipsumque summa cum humilitate ac reuerentia adora: illudque bonum ab ipso solo profectũ agnoscens, toto corde Ei pro eodem gratias agas. Quia omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est, descendens à patre luminum. *Iac. 1.*

CA-

CAPVT XIIII.

De ordine pugnandi cum hostibus nostris.

Animæ motus explorandi.

IN pugna spirituali contra inordinatos affectus, & quaslibet aduersitates, huiusmodi ferè ordo seruabitur. Primùm ingredere cogitationibus tuis in archiuum animæ tuæ, & diligenter dispice, quínam affectus in ea præcipuè dominetur, & à quibus cogitationibus & motibus frequẽtius tentetur ac molestetur. Dein vertas te contra illum hostem, qui tibi plus molestiarum

rum & periculorum affert, atque iam iam in te manus suas mittit, vt obruat & perdat; eique viriliter te oppone.

Similiter tempore quieto, cùm à nullo hostium tentaris & affligeris, tuipse prouoca ad certamen hostes tuos; potissimùm illos qui tibi præ cæteris molesti sunt, frequentiusque te decipiunt atque turpius coram Deo confundunt. *Quieto tempore pugna suscitanda.*

Capvt XV.

Quid faciendum illi, qui ab hostibus deuictus, grauiterq́; est læsus.

Si

SI te contingat ex imbecillitate, alijsque defectibus, adeoque & nequitia, voluntateque mala, in aliquod vitium incidere; protinus conuerte mentem tuam ad Deum: & primùm quidem tuam ipsius vilitatem ad animum reuoca, teque ipsum odio habeas. Dein te recollige, & denuò ad Deum conuersus, ardēti corde confitearis & dic: Domine Deus meus, ecce gessi me qualis sum. Quid n. à me aliud expectandum, quàm sordes, lapsus atque peccata? Doleo, De⁹ meus ex toto corde meo. Eheu fateor, quòd multò deterio-

teriora: perpetrassem, grauiusque lapsus fuissem; nisi me manus tuæ immensæ bonitatis singulariter custodiuissent: pro quo etiam tibi meritò gratias ago, habeoque quàm maximas. Domine Deus meus, secundum diuitias miserationum tuarum ne permittas me extra gratiam tuam viuere, aut sanctissimam tuam Maiestatē deinceps offendere.

Hæc ubi corde syncero effudisti coram Deo, noli sollicitè cogitare, an tibi Deus peccatum istud dimiserit, nec ne: quia hæc curiositas sapit fœtidam animi superbiam, & grauem

Non inquirendum an Deus nobis pec

uem

ata di- uem diaboli laqueum: reddit
iisse- etiam te inquietum, & tempus
t. sine fructu consumit. Ergò purè teipsum proijce in paterna brachia clementissimi Domini Dei tui: & resume exercitationes pugnæ tuæ, ac si nunquam lapsus fuisses.

Exercitatio peccatoris. Et licet vno die sæpius labaris, seu ab hostibus tuis plura vulnera accipias: nullatenus tamen desperabis; aut pusillanimis eris, aut tibi metues: sed toties repete consueta pugnæ tuæ exercitia sicut fecisti in principio; primò, secundò, tertiò, quartò, & quoties opus fuerit.

Hoc

Hoc genus exercitationis vehementer displicet diabolo, quòd sciat illud magnopere placere Deo: & ob id grauiter machinatur, vt nos ad illud frequentandum tepidos reddat. Tu verò contrà, hoc maiorem tibi vim facies ad illud frequentandum, quò videtur esse durius atque molestius: Ideoque nec tædebit te illud in quolibet lapsu, & amissa contra hostem victoria, aliquoties repetere. Et licet post lapsum primum, vel alterum ac tertium in te sentias grauẽ turbationem, confusionem, diffidentiam; tamen cõtende

ante

ante omnia vt interiorem animæ quietem recuperes, téque solùm ad Dominum Deum tuum conuertas. Nam turbatio animi, ex admisso peccato proueniens, non est indicium offensi à te Domini Dei tui, sed damnorum variorum, quæ tũ tibimetuis.

Vt peccatori quies animi quærẽda.

Istam autem animi tui quietem sic ferè comparare poteris. Facta ad Deum conuersione & deprecatione peccati; deinceps obliuiscere peccati tui penitus: & solùm contemplare ineffabilem Dei tui dilectionem, qua desideret summopere, vt te sibi vniat, & æter-

terna beatitudine participem reddat. Hac autem contemplatione finita, & corde tuo in pia tranquillitate constituto, iterum verte cogitationes mentis tuæ ad lapsum tuum, & facitò quod in huius capitis initio docui: temporeq; confessionis peccatorum (quæ sæpius facienda est) reuolue omnes lapsus atq; defectus tuos, eosque detege ac confitere simpliciter tuo Confessario.

CA-

CAPVT XVI.

Quòd spiritualis homo semper debeat habere cor quietū ac lætum in Domino.

Speculatore opus est.

Dilecte fili, vt cor tuum in spirituali hac pugna, ab omni angustia ac perturbatione quietum seruare possis; diligenter teipsum obserua, & fidelem tibi constituas speculatorem: qui cùm aliquid ꝙ te possit turbare, molestaréque perspexerit; confestim signo dato te præmoneat, vt ad defensionem tempestiuè te armare valeas.

Et

Et si contingat (vt solet sæpe) te ex euẽtu improuiso grauiter turbari, protinus omnibus negotijs alijs sepositis, cõtende vt denuò quietum ac lætum cor tibi concilies. Quo accepto, rectius cætera præstare poteris: quia animo turbato ac inquieto nihil efficies: & diabolus occasionem inde sumit te grauius tentandi. Quoniam ipse huiusmodi sanctã animæ quietem seu pacem vehementer metuit, tanquam tabernaculum Dei, in quo ipse multa mira operatur. Propterea quoque pestifera sua astutia nõ omittit nos etiam sub specie boni deci-

pere. Quoniam sæpè in nobis excitat affectus ac desideria bona: sed oportet eos, ne decipiaris, ex fructibus eorum diligenter dijudicare. Nam si cor tuum inquietum reddunt, scias nihil in eis boni esse, sed diabolicam deceptionem hic latere absconditam.

Affectibus etiam bonis non citò locus dandus.

Postea quam autem speculator tuus tibi dat signum, adesse quendam affectum bonum, qui cor tuum cupiat inhabitare; caue vt intromittas eum prius, quàm voluntatem tuam ab eius desiderio totam expoliaueris: eumq; Deo supplici oratione obtuleris, simul

que

que coram ipſo tuam ignorãtiam ac cæcitatem humilimè confitearis, & attentiſſimè ipſum inuoces ac ores, vt lumẽ gratiæ ſuæ tibi benignè impertiat, ad cognoſcendum & dijudicandum an affectus hic bonus à glorioſiſſima ſua Maieſtate, an à re aliqua terrena ꝓueniat.

Naturæ noſtra mortificatio

Et ſemper eſto memor ſubiugationis, mortificationiſq; tuæ propriæ Naturæ, priuſquam vllum bonum affectum in te admittas, etiam à Deo immiſſum. Quia gratiora ei ſunt opera, quæ ex voluntate tua piè mortificata proueniũt,

quàm quę ex desiderijs tuæ viuidæ Naturæ feceris. Et sæpe plus placet Deo tuæ voluntatis mortificatio, quàm ipsum opus bonum.

Ergo, dilecte fili, si vanos, prauosque affectus tuos, sic, vt prædixi, abs te excluseris: nec bonos in animum tuum, donec Natura tua propria, cũ omnibus suis affectibus ac desiderijs suppressa ac mortificata sit, admiseris; semper quietus eris, & castrum cordis tui tutum ab hostibus conseruabis.

Propter eandem cordis tui quietem, etiam caueas, abstine-

neasque à crebrioribus reprehensionibus, & afflictionibus interioribus tuijpsius. Istæ enim non semper à Deo, sed & à diabolo quandoque suggeruntur. Ex fructibus autem eorum cognosces vnde potissimum oriantur. Nam si eæ reprehensiones te humilem atque quietum custodiunt, diligentioremque in bonis operibus reddunt, piamq; in Deum confidentiam non auferunt; tunc eas suscipe tanquã à Deo inspiratas, qui sic ad ianuam cordis tui interius pulsat, vt teipsum discas cognoscere.

Reprehensiones sui ÿpsius interiores, nõ semper bonæ.

Si autem te inquietum, pusillanimem, ad opera bona pigrum, & erga Deum diffidentem reddunt; idque eò præcipuè tempore, quo easdem interiores reprehensiones, afflictionesque in te sentis; pro certo habeas non à Deo, sed á diabolo eas tibi suggestas esse. Huiusmodi ergo ne admittas in animum tuum, sed in tuis consuetis pijs exercitationibus hilariter persistas, quasi nihil istarum suggestionum in te senseris.

CA-

CAPVT XVII.

Quòd diabolus hominem sæpe per pia proposita decipiat, & à profectu virtutum impediat.

PRæter hactenus detectos diaboli dolos, etiam alius hîc detegendus est: per pium propositum desideriumq; pugnandi contra præterita peccata grauiora. Id enim propterea homini suggerit, vt dum in his animum suum occupat, suorum quotidianorũ peccatorum quibus tamen vehementer obnoxius est, obli-

Certamen cõtra peccata præterita nõ semp suscipiendum

uiſcatur, nullamque contra ea pugnam ſuſcipiat. Qui autem ſuæ ſalutis curam habere voluerit, debet præcipuè cum vitijs proximis certamen ſubire, eaque vincere & à ſe procul fugare. Quod quia ſæpe negligimus, fit vt in multa mala prolabamur: velut qui noua ſemper accipiunt vulnera & nullam quærũt medicinam. Nec veremur nobis inter hæc etiam perſuadere, quòd benè egerimus: quamobrem & propriam complacentiam in iſta pugna contra peccata prę-terita, & latentem in nobis ſuperbiam verè prodimus.

Vn

Vnde & videere licet multos, qui ne verbum quidem durum, nedum verbera, placido animo suscipere, perferreque possunt; tametsi frequẽtes sint in sublimibus contemplationibus, in ijsque sibi proponant, etiam purgatorij pœnas, purè propter amorẽ Dei, patienter sustinere. Cumque ipsorum voluntas inferior siue Sensualitas, nihil quod molestum sit doloremq; afferat, in se sentiat: tantumque ad futuras calamitates respiciat; profectò valdè ineptè ac temerè sibi imaginantur, se ex eorum esse numero, qui sum-

In quorundã morositatem, siue spiritualem superbiam.

mè patientes ſint, & ipſo facto multa grauia ſuſtinere pro Deo valeant.

Vt ergo, dilecte fili, dolũ hunc effugias, propone tibi, non ſolùm animo, ſed & ipſo facto pugnare cum proximis hoſtibus tuis, qui & moleſti tibi valde ſunt, & ipſo opere aduerſantur. Inde facilè cognoſces, an illa propoſita tua vera an falſa, firma an debilia ſint. Nec poſſum tibi vllo modo ſuadere, vt pugnare cõtendas contra hoſtes, qui te non infeſtant; niſi certò deprehendas, eos te breui inuaſuros. Sic enim tibi licet cõtra

eos

eos pugnare priusquam in te veuiant, vt deinde in ipso cõflictu te sentias fortiorem.

Nolim tamen tibi vt persuadeas, te per pugnam antecedentem, hostes tuas iam superasse; nisi multo iam tempore in virtutum studijs exercitatus sis Huiusmodi enim viris, ob insignes ac sublimes perfectionis gradus, permissum est suscipere proposita pugnandi contra peccata præterita grauiora, etiamsi leuiora nonnulla delicta, ex singulari Dei prouidentia superare non possint: videlicet vt permane-

ant in humili agnitione propriæ imbecillitatis.

Sed qui negligentes sunt in superãdis leuioribus delictis, putantque se grauioribus facile posse resistere; insigniter vani sunt ac præsumptuosi, inciduntq; in laqueos diaboli. Haud secus atque ab omnibus rideretur qui se sineret ab imbelli homine vulnerari acvinci: & iactitaret quòd cum robustissimo quocunq; non vereretur in arenam descendere.

CA-

CAPVT XVIII.

Quibus dolis diabolus nos à virtutum studijs abducere moliatur.

VTitur porrò diabol⁹ alio quodam astu, vt nos in via virtutum ambulantes, abducat in deuia: Id est, à virtute in vitium. Accidit enim quãdoque, vt in graui infirmitate verè patienti, ne si ita perseueret, virtutum patientiæ consequatur; diabolus suggerat motus ac desideria huius vel illius boni operis faciendi, si sanitati restitueretur: quodq;

Deo rectius, ac dignius seruire: sibi, suisque, & pauperibus plura officia, beneficiaq; præstare possit sanus, quàm infirmus. Et hæc desideria in tali infirmo paulatim magis magisque accendit, donec eum pertæsum & impatientem reddat infirmitatis suæ, quòd per eam ab istis bonis faciendis impediatur. Atque hoc dolo eũ, qui ad virtutem Patientiæ sese exercebat, in Impatientiæ vitium nequiter præcipitat.

Neque hoc satis: sed pergit, & eidem infirmo suggesta desideria de bonis operibus, quæ sanus facere posset, rursum

ſum dolosè eximit, ipſo etiã non aduertente: ſolumque in eo deſiderium ſanitatis recuperandæ relinquit: aut ſi eam non propediem obtineat, in grauem triſtitiam, & ipſiſſimam labatur Impatientiam.
Contra hunc ergo nefarij hoſtis dolum, deceptionemque, remedium optimum eſt, vt in infirmitate, aut alia quacunq; aduerſitate conſtitutus, ſedulò caueas, ne motũ, deſideriumque in animum admittas vllum, quod non poſſis quãprimum implere: alioqui reddet te ſolicitum ac inquietum. Huiuſmodi ergo deſiderio re-

Remedium contra hunc dolum diaboli.

cuperandæ ſanitatis, quod inimicus ſuggerit, conſtanter reſponde: Stabat mater doloroſa iuxta crucem IESV. Vah callide ſerpens: Stabat Mater Domini mei IESV CHRISTI cum cæteris ſanctis mulieribus ſub cruce triſtis ac deſolata: cum hac ſancta ſocietate malo ſub cruce mihi à Deo meo impoſita ſtare, quã cum te ſuperbo ac perdito, vexillum crucis, (cui me deuoui, fidemque dedi) deſerere, turpiterque fugere.

Et attende diligenter, ſæpe eum qui labitur in Impatientiam, non putare id ei accide-

re

re ex sua quam patitur adversitate, sed ex impeditione ab operum bonorum exercitio, quæ ex ea oritur. Proindeque impatientiæ suæ causam non refert in ipsam infirmitatem vel aduersitatem, sed partim in seipsum, quòd eam cõmeruerit, & quasi accersiuerit: partim in eos quibus molest⁹ esse debet etiam inuitus: partim denique in omissionem spiritualium exercitiorum.

Idem obseruare licet in ambitiosis, qui vt ambitionem suam apud homines tegant vel excusent, dicunt se dignitates aut officia non ambire pro- *Ambitiosorũ vana excusatio.*

propter honorem proprium, ſed ob neceſſitatem ſuorum cognatorum, quos iuuare debeant. Quòd verò in his omnibus lateant peſſimi laquei diaboli, ex eò apertè deprehēditur, quòd non deponant iſta ſua deſideria & ambitionem, tametſi alij ſint qui ea, quæ ipſi aut in bonorum operum exercitatione, aut erga cognatos ſuos fieri exoptant, præſtare poſſint.

Alia vana excuſatio Impatiētiæ. Verbi gratia. Dicis infirmitatem tuam te non reddere Impatientem, quòd moleſta ſit: ſed quòd grauentur qui in ea tibi miniſtrant. At ſi con-

tin-

tingeret easdem personas tibi ministrantes, etiam alijs infirmis ministrando grauari, parùm te afficeret. Vnde apertè deprehendis, non illorũ molestationem, sed tuam ipsius cupiditatem esse causam Impatientiæ tuæ. In hunc modum etiam poteris dolos in alijs rebus ac negotijs tuis latentes facilè deprehendere.

Habeas ergo tibi hoc perpetuum memoriale, vt cùm contigerit te aliqua aduersitate visitari; nullatenus ab ea liberari desideres: quoniam ex isto tuo desiderio, duo tibi grandia mala eueniunt. Alterum

Consilium pro infirmis.

rum quòd auferat à te virtutem Patientiæ, aut saltem viam sternat ad Impatientiam. Alterum quòd priuet te merito apud Deum, qui breuissimi temporis Patientiam, cum propriæ tuę voluntatis in ipsius diuinam voluntatem resignatione coniunctam, in opus perfectæ Patientiæ reputat.

Consiliũ pro quibuslibet afflictis.

In his ergo & alijs operib⁹, negotijsq; tuis omnibus, hanc tibi regulam serua: vt cor tuum à desiderijs omnibus subtrahas atque expurges, nihilque aliud petas, quàm quod diuinæ voluntati placeat, idq; cum debita humilitate atque sim-

ſimplicitate. Quo facto in nul
la deinceps aduerſitate facilè
turbaberis: quòd nullá tibi ac
cidere poſſit abſque benepla-
cito diuinæ Maieſtatis. Atque
hæc faciens, nunquam à via
perfectionis aberrabis. Quan-
do autem pro aduerſitate quá
ſuſtines pellenda, medijs qui-
buſdam uti neceſſe eſt; ſolici-
tè te obſerua, ne affectus cor-
dis tui ijſdem adhæreſcat. Ne-
ue ijſdem vtaris vt ab adverſi-
tate libereris: ſed quia Deo ſic
placeat, vt his medijs vtaris.
Atque tunc non turbaberis,
etiamſi illa tibi non conducát
ad liberationẽ ab aduerſitate.

CA-

CAPVT XIX.

Quomodo aduersarius noster insidiosè molitur, vt virtutes nostræ acquisitæ, nobis occasio sint ad ruinam.

CAllidus ac pestifer ille Serpens non intermittit nos etiam tentare per virtutes nostras acquisitas, vt fiant nobis occasio ad ruinam. Itaq; molitur omnia, vt nos ad cõplacentiam & oblectationem in ijsdem inducat. Indeque in nobismetipsis elati, in graue crimẽ superbiæ prolabamur.

Vt

Vt ſis verò ab hoc pericu-loſo lapſu tutior, perſiſte ſem-per in aperto campo, & per-ſeuera in vera, humili atque ſecura meditatione vilitatis tuæ; conſiderans quòd ex te-ipſo planè nihil ſis, nihil ſcias, nihil poſſis: nec quicquam ali-ud in teipſo habeas, quàm æ-ternam damnationem. Cura-bis quoque ſedulò, vt cogita-tiones tuas omnes, quæ te à tuijpſius agnitione abſtrahũt, longè à te repellas. Cùm enim iſtæ à manifeſtis tuis hoſtibus ſuggerantur; perſuadeas ti-bi certò, niſi eas animo ex-cluſeris, aut te prorſus eneca-bunt,

Conſiliũ contra ſpiritualem ſuperbiam.

bunt, aut graue saltem vulnus animæ tuæ infligent.

Quod vt verum esse intelligas, hanc tibi trado regulam. Contemplaturus vilitatem tuam, non vertes cogitatum tuum ad dona ac beneficia, quæ in te sunt; quòd ea non sint tua, sed Dei: nec ad id quod tuum est, sed ad ea quæ in te operatur Deus. Iuxta hanc dicto regulam teipsum semp iudicabis, quantus, vel potius quàm vilis sis. Sic autem id efficies. Cogita tempus quod te antecessit, & continuò deprehendes te ab æterno nihil prorsus fuisse: nihilque etiam

te fe-

te fecisse neq; facere potuisse, vt vitam aut quamcunque rẽ aliam consequereris. Si deinde cogitas temp⁹, quo aliquid esse cœpisti, intelliges pariter te hoc ex Dei solius pura dilectione, benignitateque accepisse: quia ipse & creauit te & vitam tibi dedit, quam & ipse solus in te conseruat: & cuncta quæ habes, scis ac possides, à nemine alio, quàm ab ipso solo profecta sunt. Itaque ne minimam quidem occasionẽ in teipso inuenies, vnde putes te aliquid esse, aut pro aliquo præ cæteris habendum.

Iam quod attinet dona varia

ria, quæ partim in S Baptiſmo, partim hacten⁹ in ſingulos dies accepiſti, & etiánùm accipis; vt per ea ad omne bonum faciendum admonereris, ſimulq́ue inſtitutionem ac robur in promptu haberes: ſi ea per cogitatum tuum abs te remoueris: numquid poteris quicquam operari boni?

Si præterea verteris cogitatum tuum ad multa tua opera mala & peccata, atq; ad alia peiora quę indubiè perpetraſſes, niſi Dominus Deus noſter dextera ſuæ diuinæ gratiæ te cuſtodiuiſſet, impediuiſſet, abſtraxiſſet: cognoſces facile, impie-

pietatem tuam; tum propter longitudinem temporis, quo eidem immersus fuisti, tum ob multitudinem iniquorum factorum, prauarumque affectionum tuarum; tam grandẽ esse, vt neque numerari, neq; verbis exprimi possit: & ita quasi alter Lucifer infernalis iam sis, aut certè fieri potueris.

Quamobrem nisi velis esse fur aut sacrilegus, qui Domino Deo sua bona furetur, sibique attribuat: sed cupis omninò esse ac haberi is, qui reuera in te ipso es; iure debes teipsum de die in diem ac semper

Quatenus cognitio & confessio ppria vilita-

H

per

tis facienda. per deteriorem æſtimare. Attende tamen diligenter, hanc agnitionem, confeſſionemq́; tuæ propriæ vilitatis coniunctam eſſe debere cum Iuſtitia. &pietate: alioqui tibi plus noceret, quàm prodeſſet. Nam ſi in taliagnitione tuijpſius ſuperaueris aliquem, qui ob ſuam cæcitatem ſe putet aliquid eſſe, ac pro tali ab alijs haberi cupiat:indeque velis vt homines te habeãt pro aliquo, quẽ tu probè ſcis te non eſſe; plurimùm perdidiſti, & longè deterior es illo.

Propterea vt agnitio Vilitatis, malitiæq́ue tuæ vera ſit, te-

teque Deo acceptabilem reddat; non solùm tu teipsum vilem ac impium agnosces, sed & talem te geres atque tractabis: & ab alijs pro tali haberi, tractarique desiderabis. Et si quandoque contingat, vt propter aliquod bonũ opus, quod Dominus Deus per te dignatus est operari, bonus habearis, ameris, lauderis; cautus esto, nec te patiaris à prædicta agnitione verissimæ vilitatis tuæ vllatenus abduci: sed cõuertas te in corde tuo ad Dominum Deum, & dic: Domine Deus meus, ne permittas, vt in mentem mihi veniat, fu-

Ne laus nostri nos decipiat.

rari tuam diuinam bonitatem. Deinde vertas te ad illum qui te laudauit, & dic intra teipsũ. Quid iste me bonum æstimat, cùm reuera nemo bonus sit, nisi solus Deus meus? Hæc si feceris, verè Deo reddis quod ipsius est, & te ad maiorem gratiam accipiendam dispo-nis.

Cõtra spirit. superbiam. Accipe & aliud opportunũ remedium in agnitione propriæ vilitatis tuæ perseuerandi. Videlicet, si ob aliquam gratiam à Deo acceptam laudaris; protinus aliquod tuorũ antiquorum peccatorum in memoriam reuoca: sic pen-

næ superbiæ in te, ceu Pauonis cùm deformes ac sordidos suos pedes aspicit, citò demittentur, atque diffugient.

CAPVT XX.

Vt in pugna spirituali nunquam nobis blandiamur de hostibus deuictis: sed solitas nostras exercitationes subindè iteremus, velut adhuc essemus tyrones in hac spirituali palæstra.

Dilectè fili, præter vniuersa hactenus à me tibi dicta, vnius adhuc te admonere

debeo: nempe ne tibi persuadeas vnquam, te passionũ tuarum aliquam penitꝰ superasse; quòd longo fortasse tempore, nullum illius motum in te senseris. Sed subinde renoua tuas solitas exercitationes spirituales tanquam tyro, seu paruulus modò natus ad pugnam, qui in ea se ante hac nũquam exercuit.

Quod quidem tunc maximè faciendum est, quando ꝑfectionem eam, ad quam nos Deus vocauit, sectari volumꝰ. Quoniam tã copiosa ac sublimis ea est, vt nunquam dicere possimus, quòd vel prima sal-

ſaltem initia ad eandem in nobis poſuerimus. Et licet multis iam annis in via perfectionis huius noſmet exercuiſſemus; eſſet tamen purum putumq́ vitium, ſi ex deceptione latentis ſuperbiæ, de eadem tanquam de vera virtute gloriaremur.

De Sancta Oratione.

Dilecte fili, hactenus, iuuante Deo audiuimus ac didicimus de Diffidentia ſuiipſius, de Confidentia in Deo, & de Exercitatione: quæ media tria, nobis neceſſaria ſunt

ad consequendam victoriam aduersus passiones ac motus inordinatos Sensualitatis nostræ. Sequitur nunc quartum medium eò necessarium, sancta Oratio: quæ inter cætera optimum ac efficacissimũ est, ad obtinendum à benigna, largaque manu Dei quodcunq; bonum.

Orationis præstãtia.

Vt autem Oratio tua grata & efficax sit: has ferè conditiones seu proprietates habebit sibi iunctas. Prima vt in corde tuo semper ardeat singulare desiderium, Domino Deo tuo ita seruiendi vt ipsi quàm maximè placuerit. Se-

Orationis bonæ proprietates.

O cun-

cunda, vt ſit in te vera ac conſtans Fides, Dominum Deum daturum omnia, quæ ad ipſius cultum, & tuam ſalutem tibi ſint neceſſaria.

Tertia, vt ad S. Orationẽ non alio propoſito accedas, quàm vt Dei, non tua voluntas impleatur; idq; tam in petendo, quàm in impetrando. Videlicet ne te ad orandum quidquã aliud moueat, quàm quòd Deus velit vt ores: néue ob aliam cauſam cupias exaudiri, qnàm quòd ita placitum ſit apud Deum. Breuiter: totũ tuum propoſitum erit, vt petas voluntatem tuã conforma

ri cum voluntate Dei:& nequã quã tẽtes voluntatẽ Dei flecte re ſecundum voluntatem tuã.

Quarta, vt Oratio tua ſemper iuncta ſit cum cæteris ſupradictis ſpiritualibus exercitijs, ita vt nullum ſine altero ſuſcipias. Tametſi enim diu, multumque Deum pro conſequenda aliqua virtute ores, & nullam exercitationem pro eadem comparanda adhibeas; nihil aliud agis quàm quòd Deum tentas, & nihil impetras.

Poſtquam autem oraueris ad Deum, mox excita in te Spẽ viuam atq; conſtantem in ipſum, quòd ex ineffabili dilectione

one ſua tibi petitam gratiam ſeu donum, aut aliud eò præſtantius, vel vtrumque ſimul daturus ſit. Et quanquam tam diu fortaſſe differat dare, vt putes te nihil impetraturum: tamen hanc Spem conſtanter in te retine: nec vnquam Orationem, aut exercitationem, aut fiduciam tuam propterea intermitte.

Perſeuerantia, oranti neceſſaria.

Quinetiam ſi tibi videatur, quòd Deus te ab Oratione repellat: nihilominus te ipſum magis magiſque ante conſpectum eius humilia: ſimulque Fidem ac Spem in ipſum in te adauge & conforta. Nam quò fre-

frequentius, etiam inveheměti huiuſmodi repulſa, ac manifeſta quaſi reprobatione orationis tuæ, reſtiteris, ſpemque conſtantem conceperis; hoc quoque gratius obſequium præſtabis Deo.

Sed & ſemper gratias ages Deo, atque non minus ſapiẽtem, prudentem, benignum, amantemque tui ipſum iudicabis, quando te ab ipſo non exauditum arbitraris, atque eùm obtines quod petiſti. Itaque ſemper eſto conſtanti animo ac læto, quodcunque tibi eueniat bonum aut malum: humiliterque te infallibili Sapi-

pientiæ, prudentiæ, prouidentiæque diuinæ submitte.

Capvt XXII.

Quid Oratio interior, quæ & cõtemplatio, sit: & quis eius vsus.

ORatio interior, seu mentalis, nihil aliud est, quàm eleuatio mentis in Deum, virtualis vel actualis, ad obtinẽdum quod petitur. Virtualis dicitur quando aliquis mentem suam eleuat in Deum pro impetranda ipsius gratia: suamque ipsi necessitatem, absque vllo discursu ac conside-

Virtualis oratio quæ.

ratione aliarum rerum, simpliciter, breuiterque explicat. Vt cum mentem meam eleuo in Deum, & coram ipso agnosco, confiteorque meam ad faciendum bonum, & me à malo custodiendum imbecillitatem. Huiusmodi oratio propriè, rectèque dicitur Virtualis: quia dum mentem meam, sic breuiter aperio coram Deo, ipse satis bene nouit qd mihi desit, & quónam opus habeam auxilio.

Est autem & aliud genus Orationis interioris Virtualis, quod consistit in simplici intuitu seu contemplatione diuinæ

uinæ mentis. Et fit quando tacitè desideramus, Deumque velut monemus vt largiatur quod antea petiuimus. Hunc orandi modum, fili, diligenter addiscas, frequentique exercitatione tibi familiarem reddas. Etenim ipsa te docebit experientia, quàm optima is sit armatura contra quascunq; aduersitates atque pericula. Vnde nihil vtilius, quàm hũc orandi modum semper in prõptu habere, vt eum quoties opus sit adhibere possis.

Actualis autem Oratio interior est, quando homo verbis in mente expressis, gratiam

am à Deo petit. Vt qui intra se, absque verbis exteriorib⁹, ad Deum sic orat: Domine Deus meus, da obsecro mihi gratiam hanc, aut illam; propter honorem sanctissimi nominis tui. Vel: O Deus meus, credo firmiter, summæ Maiestati tuæ sic placere, vt hanc abs te gratiam petam. O Deus meus, impleas in me voluntatem tuam.

In huiusmodi Oratione hostem tuũ, vel peccata tua, quæ te infestant & affligunt, pariterque imbecillitatem ad ijsdẽ resistendum, coram Deo sistas, & dicas: O Domine, aspice

me

me creaturam manuum tuarum, quam roſeo ſanguine tuo redemiſti: attēde hoſtem meum pariter & tuum, qui furit ac ſæuit vt me diſcerpat, abſorbeatque. O Deus meus ad te confugio, in te ſolo ſpero. Reſpice imbecillitatem, impotentiam, imperfectionem meam: & è contrario grandē vim, robur atque potentiam hoſtis mei, qui molitur me ſuæ tyrannidi ſubijcere, ſi tua potenti defenſione deſtituar.

CA-

CAPVT XXIII.

Quatenus homo simul Orationi interiori & contemplationi vacare possit.

Orationi quæ meditationes iũgendæ.

SI quandoque certum tempus, vt horam vnam & amplius, mentaliter orare volueris, iunges orationi huic meditationes de vita & morte Christi Domini nostri: ita vt opera Christi semper accommodes ad virtutem quam petis, simulq; de ijsdẽ mediteris. Verbi gratia. Desideras acquirere virtutem Patientiæ: assume ergo meditãdum aliquod my-

mysterium crucifixionis Christi Domini nostri. Scilicet quàm atrociter spoliatus sit vestibus suis; quàm truculenter vestes, sacris eius vulneribus adhærescentes, detraxerint: quantis cum subsannationibus ac diris spineam coronam sacro capiti eius, iterum, iterumq́ue ac sæpius extractá, denuò impresserint. Vel quomodo ipse innocentissimus Dominus Deus, duro Crucis ligno affixus, & cum ineffabili vulnerum suorum, totiusq; sacri corporis eius dolore in altum leuatus sit. Vel his similes meditationes assume.

Meditationes Passionis Dominicæ ut suscipiendæ.

Et inter meditandum de Christi passionibus, applica Sensualitatem tuam, vt pœnam, quam Christus ista patiens, in omnibus membris sacri corporis sui sustinuit; etiã ipsa in se sentiat. Deinde excita & eleua cor tuum ad sacram animam Christi, & quantum potes meditare summam patientiam ac mansuetudinem, quibus acerbissimos istos, aliósque complures cruciatus, placidissimè tolerauit. Quodque idem Dominus Iesus pro honore cœlestis patris sui, ꝓque salute nostra, paratus semper fuerit, seque obtule-

rit

rit ad multò plura, grauioraq; ſuſtinenda.

Poſtea aſpice eum oculis mentis ſic in cruce pendẽtem, martyrioque affectum, eique aſta & meditare, quàm feruido deſiderio pro te pati voluerit, vt eius exemplo & tu aduerſitates tuas, propter honorem ipſius patienter ſuſtineres. Et ſicut ipſe vertit ſe ad ſuum cœleſtem Patrem pro te orandō: ita & tu petas tibi gratiam concedi, vt crucem, quã nunc ſuſtines, omniaque incommoda alia, æquanimiter ſufferre, ſuperaréque valeas.

Deniq; compelle volũtatẽ tuam,

tuam, vt in hoc consentiat, eamque sæpiùs alloquere, vt crucem istā placidè in se suscipiat, & constanter perferat. Mox mentem tuam verte ad Deum Patrem tuum cœlestē, ab eoque humili prece efflagita virtutem Patientiæ, vt superare possis: pariterque toto corde ora, vt orationem dilecti filij sui, quam indesinenter pro te fundit, clementer exaudire dignetur.

CAPVT XXIV.

De quodam alio modo orandi per meditationes.

Est

Est præterea modus quidã alius simul & orandi & meditandi. Videlicet, vbi iam interius magna attentione, ac indefesso studio acerbissimam Passionem, omnemque miseriam quam dilectissimus Dominus noster Christus Iesus pro nobis sustinuit, meditatus es; accommoda Sensualitatem tuam vt similes dolores quatenus potest fieri, in se sẽtiat: moxque tuis cogitationibus penetra ac perscrutare, quàm promptissima voluntate Christus Dominus noster ista sustinuerit. Et post meditationẽ maximi doloris, sum-

mæ-

mæque ac perfectæ patientiæ eius, verte mentem tuam ad alias duas meditationes. Nimirũ primò meditare de thesauro meritorum Christi. Secundò de summo beneplacito cœlestis Patris, quod habuit in perfectissima obedientia dilectissimi filij sui.

His pijs meditationibus vbi mentem impleueris, proferas eas, & ante conspectum Domini tui sistas, perque earum rerum virtutem pete ab ipso gratiam aliquam, qua pręcipuè indiges. Et hanc petitionem, non solùm in meditatione cuiuslibet mysterij Passio-

sionis Christi, sed & cuiuslibet actus interioris vel exterioris, quem Christus in tali mysterio exercuit, facere poteris.

Capvt XXV.

De modo orandi per intercessionem B. MARIAE Virginis.

PRæter iam dictos orandi & meditandi modos, adhuc alius occurrit: Videlicet de gloriosissima superbenedicta Virgine matre Christi Domini nostri Maria: quod hac

ratione commodè facere poteris. Primùm namque verte mentem tuam ad Deum Patrē: deinde ad vnigenitum ac dilectissimum filium eius Christum Dominum nostrum: Postremo ad eandem superbene dictam matrem, sanctissimam Virginem MARIAM.

In meditatione erga cœlestem Patrem, duo siste ante ipsius conspectū: nempè summum ipsius beneplacitum, ꝙ habuit apud se ab æterno de superbenedicta Virgine matre MARIA, priusquam nasceretur: deinde admiranda opera quæ idem ostendit cùm eadē san-

ſanctiſſima Virgo in mundum naſceretur. Ex vtroque hoc poteris tibi multas perutiles ac pias meditationes formare, hoc ferè modo & ordine.

Eleua & exalta cogitationes tuas vltra omne tempus præteritum; ſupraque omnem creaturam, & penetra vſque ad æternitatem diuinæ mentis: atque ſic meditare, quàm celebre gaudium, quàm ſanctas delitias diuina Maieſtas apud ſe habuerit ſuper hac beatiſſima Virgine MARIA, eiuſque pulchritudine longè deſideratiſſima. Cumque Dominum Deum in tanto gaudio ac

iubilo inuenisti; confestim summa spe atque fiducia eum ora, vt propter illud sublime gaudium, tibi gratiam & robur spiritus, ad superãdos hostes tuos (præsertim illud vitium quod te tunc grauius tentat atque molestat) benignè largiátur.

Deinde progrediaris meditari præclaras virtutes ac dona eiusdem gloriosissimæ Virginis matris MARIÆ: & nunc simul omnes, nunc verò singulas siste ante conspectũ cœlestis Patris: atque ora similiter, vt per immensam bonitatem suam, & propter istas sancti-

ctissimæ Virginis virtutes, tibi clementer conferat quod petis.

Postea verte cogitatum tuum ad Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum: eũque admoneas castissimi Virginalis vteri, qui nouem mensibus ipsum gestauit: itemque reuerentiæ singularis; qua ipsum sanctissima mater Virgo, cũ primùm natus esset in mũdum, prosequebatur atque colebat. Quoniam tunc statim credidit ac coluit ipsum vt verum hominem, & Deum verum: vt filium suum, & creatorem suum. Admone eum

Vt B. virgo Maria Christum coluerit

ṇoque oculorum maghę cō-passionis, quibus summam e-ius paupertatem intuita est. Sacrorum etiam brachiorum inquibus ipseDei filius frequē-ter recubuit: Istorum suau um osculorum; quæ ipsa ei dedit: Lactis, quo ipsum nutriuit: Laborum difficilium, pluri-marum molestatum atq; do-lorum, quæ in vita eius pari-ter & morte, propter ipsum sustinuit. Propter hæc & simi-lia pijssimæ Virginis matris ob sequia, nonnullam dilectissi-mo eius filio vim afferes vt te orantem exaudiat.

Tandem te quoque vertas ad

ad ipſammet glorioſiſſimam Virginem matrem Dei MARIAM: eamque ſimiliter admone; quomodo ipſa ſola inter omnes virgines ac mulieres, ab æterna ſapientia, immenſaque bonitate Dei, in matrem gratiæ & commiſerationis, in adiutricem, mediatricem, aduocatam omnium hominum apud Deum prælecta ſit: quodque poſt Deum, eiuſque dilectiſſimum filium, apud neminem alium, quàm apud ipſam meliora, certioraque præſidia atque ſolatia ſalutis inuenire ac conſequi poſſimus.

Admone ipſam quoque, quam vere ac rectè de ipſa ſcribatur ac decãtetur: quòd nullus eam recta fide inuocauerit cui non benignè reſponderit, ſuaque fideliſſima interceſſione auxilium non tulerit. Denique ſiſte ante oculos eius omnem miſeriam, quam dilectus eius filius hic in terris ſuſtinuit: & ora vt pro ipſius ſolius honore ac gloria, tibi ſua pijſſima interceſſione, impetrare dignetur hoc, cuius gratia dilectiſſimus eius filius tam manſuetiſſimè paſſus eſt.

CAPVT XXVI.

Quomodo orandum ac meditandum sit per SS. Angelos, cæterosq́; beatos in cœlis.

POteris tibi præterea efficax medium ad impetrandum aliquid à Deo parare, per S S. Angelos, cæteroſque beatos in cœlis. Atque id etiam modis duobus efficies: primò ſi vertas cogitatum mentis tuæ ad cœleſtem Patrem, eique ſiſtas amorem, cultum, laudem; quibus ipſe à tota cœleſti curia glorioſè laudatur, honoratur, colitur. Simul quoque ſi-

ſtas ei omnem laborem, ærumnas atque moleſtias, quæ Sancti eius hîc in terris, auxiliante ipſius gratia, ſuſtinendo ſuperarunt.

Deinde vertas mentem ad eoſdem glorioſos ſpiritus Dei: & inter meditandum, quòd in ſummo gradu perfectionis ſuę quem poſſident, etiam noſtri ſemper meminerint, noſtramque perfectionem maximopere deſiderent; ora eos vt tibi in pugna contra vitia tua fidele auxilium ferre non recuſent. Quandoque etiam ipſos inuoca, vt tibi in mortis articulo adſint, & à rugientibus

hostibus te defendant. Aliâs verò meditare quàm præclara gratiarum dona à Deo acceperint, & excita in te viuidum charitatis affectum, gaudiumque maximum, quòd tanta dona acceperint; haud aliter ac si propria tua essent: quinimò plus gaudebis quòd ipsi ea habeant, quàm si tibi à Deo data essent; quandoquidem suæ diuinæ Maiestati sic placuerit.

Pro aliorũ donis plꝰ gaudẽdum, quàm pro proprÿs.

Vt autem has exercitationes rectius cognoscas, & congruo iustoque ordine peragas; partieris choros Sanctorum in singulos dies hebdomadæ, vt sequitur.

Dominica die meditaberis de nouem choris SS. Angelorum.

Feria ſecunda de SS. Apoſtolis.

Feria tertia de SS. Martyribus.

Feria quarta de SS. Epiſcopis.

Feria quinta de SS. Doctoribus.

Feria ſexta, de SS. Confeſſoribus.

Sabbato de SS. Virginibus.

Nullo autem die intermittes quaſdam habere Meditationes, & confugia ad glorioſiſſimam Virginem MARIAM: ad

Ad proprium tuum Angelum, ad Gabrielem Archangelum, & denique ad eum ſanctum, quem ſingulari pietate veneraris & obſeruas.

CAPVT XXVII.

Quomodo ſanctam Crucem, & Chriſtum Dominum in ea affixum pendentem meditari debeamus: vt bonos affectus ac motus in nobis excitare, vel à Deo conſequi poßimus.

OStendi tibi, fili, paulò antea, quomodo ad orationem adhibere debeas meditationes de S. Cruce: nunc te

instruam, quomodo per ipsius contēplationem, pios motus seu affectiones in te suscitare queas. Itaque si quandoque volueris de aliquo articulo S. Crucis ac Passionis Christi meditari, (vt de spinea corona) sic ferè te geres. Meditaberis quomodo innocentissimus ac dilectissimus Dominus tuus Iesus Christus, pro maiori derisu atque contemptu, purpura sit vestitus, eiusque sanctum caput acutis spinis coronatum, & dura arundine percussum: sacer eius vultus totus impuris sputis fœdatus. Quomodo, inquam,

qui

qui est æternæ gloriç Rex, quẽ tot Angelorum myriades humilimè adorant, ab improbis ac vilissimis seruis, irrisoria veneratione turpiter delusus sit.

Pro excitando affectu amoris.

Cumque huiusmodi, alijsque id genus meditationibus, pium motum, affectumque amoris in te suscitare volueris: eleuabis cor tuum inter meditandum ad agnitionem inexhaustæ bonitatis ipsius Domini Dei tui, eiusque in te dilectionis maximæ; quam ex eo facile colliges, quòd tam multa, tamque acerba pro te pati non dedignatus sit. Et hac medita-

ditatione summæ bonitatis eius, amoris in te affectum magis, magisque accendes: indeque ad peccatorum tuorum veram contritionem facilimè permoueberis. Præsertim si agnoueris, te hunc benignissimum, & tui amantissimum Dominum tuum, ob tua solius peccata turpissima crudeliter antea necatum, etiãnùm grauiter offendisse.

Pro excitanda spe vera. Ad excitationem verò viuidæ ac constantis in te Spei, meditaberis quod idem Dominus Deus tuus, qui est Rex Regum & Dominus dominãtium, in tam grauem, extre-

mam-

namque miseriam se demiserit, vt te à vinculis peccatorũ tuorum, diabolique captiuitate absolueret at eriperetq;, cœlesti Patri reconciliaret, fiduciamque bonam, in omnibus necessitatibus ad ipsum confugiendi tibi impertiret.

Pro excitãdo gaudio

Si autem ex meditationibꝰ Passionis Domini tui, spirituale gaudium in te volueris excitare, moue [illegible]atum mentis tuæ à consideratione pœnarum, quas sustinuit; ad vtilitates ac fructus, qui ex istis pœnis eius in te redundarunt. Et meditare te, totumque mundum per easdem à peccatis esse

ſe abſolutum, iram cœleſtis Patris ſedatam, diabolum fugatum, mortem occiſam, oues perditas ad ouile reductas, Angelorum ſedes redintegratas. His iungas, quantum gaudium tota ſanctiſſima Trinitas, omneſque cœleſtium ciuium exercitus, & vniuerſa militans Eccleſia, ex ijſdem vtilitatibus conceperint, habuerintqu[illegible]

Pro excitanda cõpaßione.

Pro doloris verò ac compaſſionis affectu, erga eundem benigniſſimum Dominum tuum Ieſum, ob amariſſimam paſſionem eius ac

mor-

mortem, in te excitando; non solùm meditaberis multiplices plagas sacri corporis eius, sed & grauissimas angustias, dolores atq; tristitiam longè maximam sanctissimæ animæ eius. Nam cùm summam, ac inperuestigabilem dignitatem cœlestis Patris, quem supra omnia maximopere diligit, satis cognitam haberet, facile poteris æstimare, quantas passa sit angustias atque dolores; cum cerneret ipsum summum, benignissimumque Deum ac conditorem omniũ, post tam multa, ingentiaque

præ-

præstita beneficia, à suámet creatura, tam temerè, grauiterque offendi,& peccatis sæpe iteratis turpiter deludi.

Deinde quoque eadem sanctissima anima Christi Domini tui incomparabilem tristitiam concepit atque sustinuit, cũ videret plurimas, ac prope innumerabiles hominum animas, sua propria culpa atque torpore damnatum iri in æternum.

Adhæc supra modum auxit dolorem animæ Christi Domini tui, immensus ac intolerabilis dolor, quem dignissima, dilectissimaque mater sua in

in eius passione ac morte perpessu est, quando gladius doloris cor eius pertransiuit.

Præterea nouum & ingentem dolorem eadem sanctissima anima Christi in se experta est, quando per vnitam sibi diuinitatem cognouit, quàm atroces ac diros cruciatus, multa sanctorum martyrum, sanctorum virginum millia, pro ipsius amore ac fide sustinere deberent.

In his, alijsque similibus meditationibus de Christi Domini tui passione ac morte; subinde recordaberis teipsum hos illosque cruciatus atque dolo-

dolores eius, tuis grauibus peccatis atque defectibus ipsi conciliasse: Indéq; ob ingratitudinem tuam & vehementer tristaberis, & te coram Deo grauiter accusabis. Est autem omnium optima, Deóque gratissima compassio, si tuos inordinatos affectus atque defectus in te persequaris, eósque contendas prorsus euellere radicitus à corde tuo; quòd innocentissimo, benignissimóque Domino tuo, tam grauium dolorum, pœnarum, cruciatuum causa fuerunt.

Por-

Porrò vt perfectum odium contra peccata in te excites ac consequaris; considera in omnibus articulis Passionis Christi Domini tui, quasi ob nullam causam aliam omnia ista passus sit, quàm vt per ea in te excitaret, generaretque odium contra omnia peccata, inordinatosque motus & affectus tuos, vt extirparētur: præsertim contra eos, qui te præ cæteris infestant, maculant, distrahunt, diuinæque Maiestati grauius displicent. *Pro excitando odio peccatorum.*

De-

Pro excitanda admiratione.

Denique vt ex his meditationibus de Christi Domini tui Passione ac morte, etiam admirationis affectum tibi cõcilies; solicitè meditare primò qui sit q ista passus est: nimirũ summi, maximique Dei vnigenitus filius, qui pro salute tua de cœlo descendit in terram, & homo factus est.

Secundò meditare ob quã causam passus sit. Nempe pro nobis miseris vermiculis, opere manuum suarum, qui ipsum semper offendimus.

Tertiò à quibus sit passus. Scilicet à vili ac truculẽta turba, omniumq; nationum populis.

Quar-

Quartò quid passus. Opprobria, contumelias, plagas despicatissimas, cruciatusque plures & atrociores quàm dici possit.

Quintò quomodo passus. Sanè tam insigniter patienti, mansueto, cupidoque animo, vt nulla humana mens peruestigare possit. Videlicet quòd is ipse mansuetissimus, & ab omnibus derelictus Dominus, in omnibus atrocissimis opprobrijs, plagis, cruciatibus suis; tam inuictam patientiam, constantemque mansuetudinem; etiam contra ingratissimos, infensissimos persecuto-

res ſuos declarauerit, vt nec vllum quidem durum verbum aduerſus eos locutus ſit: ſed ad omnia, vt agnus manſuetꝰ, qui ducitur ad victimam, vocem cohibuerit; animo omni manſuetudine pleno.

Sextò meditare tempus & locum, quándo & vbi paſſus: nam & ea non paruam tibi admirationem parient. Quoniam & tẽpore ſolenni Paſchæ, & in primaria ciuitate ſancta, aſtante dulciſſima ac dilectiſſima matre ſúa, adeóque coram toto mundo, ipſe innocens Chriſtus Dominus tuus, mi-

ista omnia, & his multò duriora passus est.

Capvt XXVIII.

De sensibili deuotione, & contraria ariditate ac derelictione fidelis animæ.

Sensibilis deuotio quandoque oritur à naturali inclinatione ad eam: quandoque à diabolo: aliàs ex Deo. A quo autem horum potissimùm proueniat, ex fructibus eius cognoscendum est. Si enim inde non permoueris ad vitæ tuæ emendationem; meritò dubitabis ánne ex diabolo,

Causa sensibilis deuotionis.

lo, an verò ex naturali tua inclinatione orta ſit: & quò maiorem ea in te ſuauitatem conciliat, hoc amplior erit dubitandi ratio vndénam orta ſit.

Cùm ergò ſentis animum tuum ſpirituali dulcedine repleri: ne diſputes vnde profecta ſit: ſed nec eidem inhæreas, ac nullatenus ab agnitiõe propriæ tuæ vilitatis deſiſtas: ſed cor tuum ab omni eo cui adhæreſcit, vehementi ſpiritu abſtrahas: nihilque aliud deſideres vnquam, niſi ſolùm Deum eiuſque diuinum bene placitum. Ita fiet vt momentaneæ iſtæ dulcedines te non deci-

decipiant, & ſi vel à naturali inclinatione, aut à diabolo ortæ ſint; vertantur tibi in gratiam, vtilitatemque non paruã afferant.

Cauſæ ariditatis animæ.

Ariditas quoque ſeu deſolatio animæ oritur aut ex naturali defectu noſtro, aut à diabolo, aut à Deo. Et à diabolo quidem immittitur, vt animam reddat tepidam, frigidamque, & à ſpiritualibus exercitijs abſtractam, ad quærẽda terrena ſolatia abducat. Ex nobiſipſis oritur aut propter peccatorum admiſſorum metum, aut ob tædium ſpiritualium exercitiorum. Denique

immittitur à Deo, vt per eam nos excitet ad maiorem diligentiam in ſpiritualibus exercitijs, & à curis atque negotiis, quæ non aut ad ipſummet Deum, aut ad ea, quæ nos in ipſum dirigunt, referantur, abſterreat: Indeque nos ſibi arctius vniat, pariterq; inſtruat nec in ſpiritualibus quidem gaudijs ſi eueniunt quieſcendum, neque ea appetenda, ſed ex ſolo nos ipſius beneplacito pendere, viuereque debere, ſicut ille qui dixit: Dominus
Iob 1. dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt.

Cùm

Cùm senseris ergò huiusmodi ariditatem animi tui, excita mentem tuam ad disquisitionem causæ, vnde ea eueniat. Cognita causa, adhibe prædicta arma, & pugna aduersus eam: non tamen eo proposito vt sensibilē illàm gratiā denuò recuperes: sed vt abs te remoueas quicquid oculis diuinæ Maiestatis displicet.

Adhæc sedulò cures, vt ne in ariditate ista animæ tuæ, solita tua exercitia pietatis intermittas, sed maiori etiam diligentia prosequi contendas. Et quanquam tibi videaris frustra laborare, tamen animo

tranquillo ac prompto bibas hūc calicem desolationis tuæ. Si etiam is vsque adeò crassis fecibus turbatæ mentis permixtus sit, vt quo te omninò vertas, planè ignores: nihilominus alacriter persevera solitarius atque desertus sub cruce sancta: nec quære gaudium exterius, tametsi tibi à toto mūdo, vel quacunque creatura offeratur. Celare enim debes hanc crucem tuam omnes homines, præterquam tuum Patrem spiritualem, cui eam fideliter detegas; non tamen vt ab eo aliquod impetres solatium, sed vt te doceat, quid

in

in hac tua ariditate facias iuxta beneplacitum Dei.

Porrò nec ſacra Communione, nec Oratione, neque alio quocunque ſpirituali exercitio hac intentione vtaris, vt in aduerſitatibus tuis aliquã mitigationem aut conſolationem accipias: ſed duntaxat eò, vt robur ſpiritûs à Deo accipias, vt crucem tuam hanc patienter ſuſtinere poſſis. Et ſi quandoque ob mentis turbationem aut diſtractionem, nõ poteris commodè intellectu tuo vti ad meditationes; tantũ habeas ac conſerues in te voluntatem bonam id faciendi:

&c adhibe ſuperius notatas iaculatorias oratiunculas, ſeu repentinas eleuationes mentis in Deum.

Patiẽtia afflictionum optima oratio.

Vtilius tamen tibi eſt, hanc crucem aridæ mentis cum humilitate & multa patientia ſufferre. Quicquid enim feceris aut ſuſtinueris pro hõore Dei, optima apud ipſum oratio eſt. Sed & in hoc verè deuot⁹ eris: quoniam vera deuotio nihil eſt aliud, quàm cor promptũ, Chriſtum Dominum noſtrũ, impoſita humeris noſtris ſancta cruce, ſequendi quocunque, & quacunque via voluerit: ita vt Deum ſolùm habe-

at

at pro Deo: & quandoq; Deo, propter Deum renunciet.

Si ergo homines, præſertim Religioſi & mulieres, ſuã in vita ſpirituali ac pia deuotione profectum, iuxta hanc regulam (& non iuxta ſenſibilẽ deuotionem, in quam prope omne ſtudium ponunt) examinarent; haud dubiè nõ tam ingrati, ſine omni vtilitate abuterentur ſenſibili deuotione ac dulcedine, quàm Deᵘˢ ipſis propterea largitus eſt, vt maiori zelo deinceps ſe dederent ſuæ diuinæ voluntati, qui tantummodo propter ſalutẽ noſtrum operatus eſt vniuerſa.

Cõtra pusilla nimes.

Quamobrem plurimi seipsos decipiũt, qui cùm ab impuris, abominabilibusque cogitationibus obruuntur, protinus pusillanimes fiunt, grauiterque sibi timent, tanquã à Deo derelicti: arbitrantes impossibile esse vt Deus cum suo spiritu in mente sic turbata & obnubilata habitet. Atq; in his cogitationibus semet ita inuoluunt, vt paulatim in grauem suijpsorum displicentiã, ac quandam velut desperationem incidant. Quod cùm intra se deprehẽdunt, confestim ad solitas accurrunt exercitationes, vt quietam mentem re-

recuperent. Sed nesciunt se in hoc esse ingratos Deo, qui huiusmodi turbationes in ipsis ideo fieri permisit, vt ad agnitionem propriæ vilitatis permouerentur: indeque vt miseræ, fragiles, desolatæ creaturæ, ad ipsum glorisissimum Dominum Deum, conditorẽ suum ardentius, diligentiusq; confugerent.

Remedia in hac aduersitate.

Itaque, fili, in huiusmodi aduersitate constitutus, hoc solùm facitò: meditare de tua ipsius vilitate, in eaque meditatione teipsum humilia, tuosque prauos affectus intimè considera. Hos namque Deus

in te esse permisit, vt dignosceres quàm procliuis ex teipso sis ad omne genus vitiorum: quodque sine diuina custodia, auxilio, defensione, cõtinuè ijsdem profundius immergaris.

Deinde quoq, apud teipsũ concipe spem bonam ac fiduciam in Dominum Deum tuum; eò quod videas ac sentias, ipsum solùm permisisse te labi in hanc grauem aduersitatem, vt occasionem acciperes ad ipsum per humilem inuocationem, orationemque appropinquandi. Propterea & ipsi mox gratias agito pro huius-

modi

modi perturbationibus: habeasq; pro certò, prauas quasque cogitationes citius depelli mansueta patientia, quàm solicito studio eas repellendi.

CAPVT XXIX.

Quòd ad extirpandos prauos affectus non sit efficacior medicina, quàm digna sumptio sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ.

SAcrosanctum Sacramentũ Eucharistiæ, seu Communionis, varias ob causas à deuotis Christianis sumitur. Si au-

autem tu illud sumere volueris pro medicina seu robore spiritus contra tuos prauos affectus; attende diligenter ad ea quæ te iam docebo.

Desiderium Christi. Pridiè namque ad vesperã priusquam mane sequenti ad sacram Communionem accedas; si tantum temporis habeas, meditare de immenso desiderio, quod Christus Dei filius apud se habuit, vt per huius S. Sacramenti sumptionẽ tibi vniretur, omnesque prauos affectus tuos ex te radicitus euelleret. Hoc namq; desiderium eius tam feruidum, tamq; copiosum fuit, vt à nullo

lo humano intellectu compre hendi possit.

Vt autem in aliquam eius cognitionem peruenire queas, duo hæc tibi suscipias meditanda. Prius, quantæ voluptati Deo sit habitare in nobis: cùm scriptura S. id appellet delitias Dei, dicens: Delitiæ meæ esse cum filijs hominum. Vnde & ipse cor nostrũ ad inhabitationem suam deposcit, vbi dixit: Fili, præbe mihi cor tuum. Posterius quod meditaberis sit, quantopere Deus oderit peccata nostra; quæ ea ipsius cum nobis vnionem impediant, suæque incomparabi- *Pro. 8.* *Ibid. 28.*

rabili perfectioni planè aduer ſentur. Nam cùm ipſe ſummum ſit bonum, clariſſimum lumen, & deſideratiſſima pulchritudo; non poteſt non vehementiſſimè odiſſe peccatũ; quod nihil eſt aliud quàm tenebræ, fragilitas, corruptela, & immunditia miſeræ animæ noſtræ.

Verùm vt hoc Domini Dei tui deſiderium, menti tuæ altius imprimere queas; meditare frequenter de mirabilibꝰ eiuſdem operibus in veteri & nouo Teſtamento. Præſertim de amariſſimæ Paſſionis ac mortis eiuſdem Chriſti Domi-

mini noſtri operibus: quæ eò duntaxat ſuſcepit, vt nos à peccatis noſtris, & ab omnib⁹ ipſi contrarijs affectibus redimeret, expugaret, ſemperq; ſeruaret. Qua de re omnes à Deo illuminati Eccleſiæ Doctores, cæteriq́ue pij vnanimiter cõcludunt ac docent: Christum Dominum Deum noſtrum, ſi neceſſe foret, non intermiſſurum denuò ac millies mori, & quidem morte acerbiſſima, vt nos à minimo etiam affectu prauo redimeret.

Ex huiuſmodi meditationibus facile intelliges ingens deſiderium, quod Dominus

Deus

Deus tuus habet ad habitandum tecum. Et hinc poteris cum his aut similibus iaculatorijs oratiunculis, feruẽs desiderium ipsum suscipiendi, etiam in te excitare. O Domine Deus meus veni, & adiuua hanc miserabilem creaturam vincere hostes suos. O Deus meus, quando veniet illud optatissimum tempus, vt à te qui es panis viuus, confortatus, subijciam atque deuincã in me omnes prauos atque inordinatos affectus meos?

Iaculatoriæ orat.

Vbi ergo per spem aduentus Domini Dei tui in animam tuam, nõnihil confortatus es; tunc

tunc prouoca ad certamẽ passiones, affectusque tuos, & iuxta regulam superius traditã, iterum iterumque eas perfecto odio abs te repelle. Dein excita in te desiderium illarũ virtutum, quæ his vitijs repugnant. Quæ quidem vesperi pariter & mane postquam surrexeris, facito.

Meditationes ante sumptionẽ Sacramenti.

Appropinquante autem hora sumendi S. sanctam Cõmunionẽ; paulo antea meditare de lapsibus, erratis, ingratitudine tua in Dominum Deũ tuum, quæ à tempore præcedentis sumptionis S. Sacramẽti, iniquè perpetrasti. Ob quã in-

ingratitudinem & indignitatem tuam, pio timore ac confusione sancta metuas ad Dominum tuum accedere. Sed protinus teipsum, ex meditatione propensissimæ bonitatis ac misericordiæ eius, iterũ in spem erige ac consolare: piè confidens ipsam, non attenta indignitate tua, abs te velle sumi: atque hac pia fiducia confortatus, alacri spiritu ad S. altare accedas, ipsumque Dominum Deum tuum, in te lætus suscipias.

Communione autem sacra sic sumpta, diligẽtissimè te cõcludas in intima cordis tui, & osten-

ostende Domino Deo tuo fragilitatem tuam, & dic in corde tuo: O mi Deus, vides quantopere ab hac passione seu prauo affectu occupatus sim. Vides quoque ac scis bene, mihi esse impossibile, vt eum à meipso euellam. Proinde hanc meam pugnam contra eundẽ in manus tuas resigno atq; cõmendo, & à te solo victoriã expecto. His tacitè dictis, verte cogitatũ tuum ad cœlestẽ Patrem, eiq; hunc suum filiũ, ob eam maximè causam, propter quam eum iam in S. Sacramẽto sumpsisti, piè offeras, ab eoque constanti fiducia auxilium expe-

Obseruanda post Sacramẽti sumptionem.

expectes. Qui licet te confestim non iuuet; faciet tamen, & tarditatem hanc ſuam affatim copiosè tibi cùm neceſſe fuerit, refundet.

CAPVT XXX.

Quomodo per eiuſdem S. Sacramenti Euchariſtiæ ſumptionem, affectum amoris in nobis excitare [illegible]ſimus.

SI optas per ſacram communionem in te excitare affectum amoris in Deum, qui ſuo feruore omnem voluntatem propriam in te abſumat; pri-

die

die ad vesperam suscipias meditationem de immensa ac ineffabili dilectione Domini Dei tui erga miserum ac indignum te, opus manuum suarum. Nimirum quòd non contentus fuerit, te ad imaginem ac similitudinem ex nihilo condere: suumq; vnigenitum filium in miserabilem hunc mundum, (vt totos triginta tres annos, & quod excurrit; per labores, molestiasque multas, tandemque per ignominiosissimam passionem ac mortem, tibi in corruptione malitiaq; tua seruiret) cœlitus mittere; sed vltra hæc omnia idem ipse Dei *Meditationes pridiana.*

L fili-

filius, suum verum, sacratissimumque corpus in sanctissimo hoc Sacramento; tibi in salutarem cibum, gratissimamque refocillationẽm perpetuò reliquerit.

Vt autem ex hoc peculiari S. Communionis dono, te in ardentem ignitumque amorẽ commutare possis; sic ferè meditationem de eodem institues. Principio considerabis qs ille sit, qui hoc pretiosum tibi donum benignè contulit. nimirum ipsemet Dominus Deus tuus, increata illa Sapientia, quæ finem nescit: cuius excelsa dignitas atque perfectio, om-

oẽm humanæ mẽtis intelligẽtiam longè, lateque superat.

Dein meditare de ipsomet sacratissimo hoc dono, quòd sit ipse verus ac vnigenitus Dei filius, vni⁹ eius deniq; cũ Deo Patre & Spiritu sancto excelsitatis, naturæ atque substantię. Iam si munus exiguum, à manu Regis alicuius donatum, nobis summopere gratum, acceptumque est, propter eum qui donauit: quantò gratius nobis esse debet illud incomparabile donum, quòd Deus est, & ab ipsomet Deo, in ostensionem suæ immensæ erga nos dilectionis donatũ atq; relictum?

Vlterius mentem tuam eleua ad meditationem æternitatis dilectionis huius, qua ipse Deus ab æterno incensus, in diuinissimo, secretissimo & imperscrutabili suo consilio decreuit, quòd seipsum tibi in cibum dare vellet. Et hæc ita meditãs, protinus incipias hilari mente, lętissimoq́ue iubilo intra temetipsum cantare, & dicere: O æterna Sapientia, tu me miserum vermiculum, ab omni æternitate tantopere dilexisti, vt tu Domin⁹ ac Deus meus, mei indigni memineris, ardentissimoq́ue amore ac desiderio teipsum mihi in

in cibum dare dignatus sis.

Tandem verte cogitatum tuum ad vnitatem dilectionis huius, quam erga te vilem tã potens ac magnificus Dominus declarauit atq; exhibuit. Quæ sanè tam immensa est, vt nulla dilectio terrena cum ipsa vnquam comparari possit. Eritque ea tibi etiam hoc charior, quòd eam tibi donauerit non ob aliquam vtilitatem suam, neq; ob merita vlla tua, sed ex sola misericordia ac bonitate sua.

Postquam ergo hæc in corde tuo diligenti studio, feruẽtique affectu ac zelo meditatus

tus es; poteris intra teipſum in hæc verba tacitè erumpere: O Domine Deus meus qui fit, vt me viliſſimam creaturam tantopere diligas? O Rex gloriæ, cur me tibi ſic copulas, qui nihil aliud ſum quàm abiectũ ſtercus, & inutilis cinis. O Domine Deus meus, ex hoc igneo, ardentique amore tuo facile agnoſco, te propter me ſolum iſta præſtare. Indeque etiam agnoſco & experior puritatem dilectionis tuæ, quòd eam propterea erga me declaras, vt & ego viciſſim omnem meum amorem tibi donem. Itemque, te mihi teipſum donaſſe

naſſe totũ, vt & ego meipſum tibi offerrem totum. Et hoc nõ propterea quod tu mei indigeas, aut aliquam ex me vtilitatem expectes: ſed ob ſolam vtilitatem meam. Videlicet vt per hanc ſalutarem iucundiſſimamq́ue vnionem, ego, vilitaſque terreni cordis mei, tecum (O Deus meus) vnum cor diuinum fieret.

Hæc omnia vbi ſeriò meditatus fueris; Mox te humiliter totoque mentis affectu ac deſiderio offeras ac dedas volũtati beneplacitoq́ue Omnipotentis Dei: ſemperque in te retineas feruens deſiderium ip-

ſius diuinæ voluntati placendi. Et cum tale deſiderium, amoremq́ue in te excitaueris, accenderiſque; etiam Dominum Deum tuum ad tantum tui amorem permouebis, vt & ipſe deſideraturus ſit, quo tu ſequenti mane cor tuum ipſi aperias, vt ad te ingredi, tecũ cœnare, omneſque delitias tecum habere poſſit. Declarabis autem tuum mutuum deſiderium erga ipſum, hac ferè iaculatoria oratiuncula. O cœleſte, diuinumque Manna, quando veniet illa optatiſſima hora, qua ego te iuxta beneplacitum voluntatis tuæ intra

tra me suscipiam? Quando per sinceram charitatem tibi verè vniar? Quando propter te, ô vnica vita animæ meę, omnē propriam voluntatem, omnemq; imperfectionem meam derelinquam, & à me excludam?

His, alijsque similibus oratiunculis ac meditationibus poteris vesperi & mane desiderium sumendi hoc sacratissimum in te excitare, fouere & augere, vt gratum Deo pręstes obsequium, & cum ipso feliciter vniaris. Inter hæc autem diligenter quoque curabis, vt omnes facultates, potentias, vires animæ tuæ, pu-

ras ac liberas serues ab omni curiositate rerum terrenarum omnibusque cogitationibus otiosis ac vanis, præterea & sensus tuos exteriores custodias, ne per eosdem cor tuum disturbetur: vnde omnem deuotionem tuam amittas.

Meditationes post S. cõmunionis sumptionem.

Sumpto autem hoc salutari Sacramento, confestim accurato studio te ad intima cordis tui recipias: ibique cum Domino Deo tuo his, aut similibus verbis amanter, reuerenterque loquere. O Rex regum Domine, quid est quòd tu iam ad me, qui nihil ni si misera, despicabilis, vilis, cæca

&

& nuda creatura ſum, ingreſſus es? Tunc reſpondebit ipſe tibi & dicet: Tu es columba mea dilecta, amica mea, ſoror mea, ſponſa mea & dilecta mea: Ad quæ & tu: O increata dilectio, ô dulciſſima dilectio, ô amiciſſima ac clementiſſima dilectio, quid poſtulas à me? quid deſideras? Nihil aliud peto, dicet tibi, quàm dilectionem: nullum alium ignem in terra cordis tui ardere volo, quàm ignem amoris mei, qui omnem alium amorem in te abſumat, tuamque propriam voluntatem prorſus exurat. Hunc, hunc deſidero, quan-

quãdoquidem aliud nil velim, quàm vt ego tuus sim, & tu vicissim totus sis, permaneasque meus. Sed hoc fieri non poterit, donec iuxta beneplacitum meum te mihi totum tradideris. Nam absque eo semper inhærebis amori ac beneplacito tuo proprio in omnibus actionibus tuis, etiam minimis. Desidero, dicet, odium tuijpsius, vt meam tibi dilectionem donare possim: desidero cor tuum vt illud inhabitẽ, meoque cordi copulem ac vniam: propterea namque cor meum in ara Crucis meæ apertum est. Volo, inquam dile-

ctissima mea, ne quid aliud desideres, nihil mediteris, nihil intelligas, videas, sentias; nisi meipsum solum ut & ego in te solus sim, tuque in me conuertaris, & in me quidem tu habeas perfectam beatitudinem ego verò in te beneplacitum.

Tandem offeres cœlesti Patri suum proprium filium, pro te, totoque mundo, & animabus fidelium defunctorum. Poteris quoque in eius memoriam, & simul cum oblatione, qua seipsum cruento modo cùm penderet in ligno S. Crucis obtulit, omnes sacras oblationes, quæ illo die *Oblationes spirituales.*

toto

toto per vniuersam Ecclesiam Omnipotenti Deo offeruntur, pariter offerre.

Caput XXXI.

De Spirituali Communione.

Spirit. cōmunio potest iterari sæpius in die.

Dilecte fili, tametsi tibi p diem semel duntaxat sumere liceat Dominum Deum in Sacramento; tamen spirituali sumptione poteris eius singulis horis atque momentis particeps fieri. Ab hac enim sumptione nulla te creatura, præterquam tua ipsius negligentia ac culpa, impedire

re poteſt. Quinetiam hæc ſpiritualis communio tibi nõnunquam vtilior eſſe poterit, quàm Sacramentalis; præſertim ſi te ad hanc non ſatis diligenter ac piè præparaueris.

Quamobrem quoties proponis ſpiritualiter communicare, teque eò præparas; ſemper inuenies filium Dei ac Dominum tuum paratum, ſuis te manibus proprijs ſpiritualiter cibandi. Ad hanc autem ſpiritualem Communionem ſic te ferè præparabis. Conuerte animum tuum hac intentione ad Deum: tuamque fragilitatem atque defectus meditan-

Præparatio ad ſpirit. cõmunionem.

do

do in memoriam reuoca, & simul de ijsdem veram ac intimam contritionem, doloréque concipe: moxque amanti corde Domino Deo tuo supplica, vt fragilem tuam animá ingredi, teque suo vero corpore ac sanguine per seipsum cibare non dedignetur.

Similiter, cum vehementi zelo aliquam in te prauam ac molestam passionem mortificare; vel è contrario alicuius virtutis actum exercere volueris: teipsum prius hoc modo spiritualiter communica. Verte cogitatum ad Dominũ Deum tuum, ipsumque ardenti prece-

prece innoca, vt ad intima cordis tui ingredi dignetur. Aut recorderis saltem prioris Sacramentalis Communionis, & feruenti desiderio ad ipsum dicito: Domine Deus meus, quãdo te demum in intima animæ meæ suscipiam? O Deus meus, veni etiam nunc virtute pari in me spiritualiter, & adiuua.

CAPVT XXXII.

De gratiarum actione.

VNiuersa quæ facimus bona, a Deo proueniunt, & ipsius

ipsius sunt: Idcirco & ipsi soli gratias agere debemus pro omnibus spiritualibus exercitiis, & pro obtenta victoria cõtra hostes nostros: quẽadmodum quoque pro reliquis beneficijs omnibus, quæ aut nobis solis benignè contulit, aut sunt nobis cum alijs communia.

Quare & quo modo Deo gratiæ agendæ.

Vt autem & hoc legitimè prestare possis, memineris prę cipuam causam cur Omnipotens Deus, sua nobis dona benignè conferat, hanc esse; vt ipsi piè, rectè ac dignè agamus gratias. Cumque is ipse Dominus Deus noster in benefi-

cio-

ciorum omnium largitione, prius ac potius suum spectet honorem: deinde vtilitatem nostram: idcirco & tu in omnibus acceptis beneficijs, agnosces primò ipsius Dei Omnipotentiam, Sapientiam, & immensam bonitatem, quæ in cunctis eius benficijs gloriosè relucent.

Dein meditare nihil in te esse dignum tantis Dei beneficijs: sed tua omnia esse ingratitudinem, miseriam, extremamque vilitatem. Tandem ergo exhibe te obediētem suæ diuinæ voluntati, & stude implere, quæ per ista beneficia

Deus

Deus abs te postulat: videlicet vt ipsum præcipuè ames, ipsique diligentius seruias, & te totum liberè offeras ac dedas: sicut iam te plenius docebo.

CAPVT XXXIII.

De perfecta suijpsius oblatione.

Oblatio Christi erga Patrē cœlestē.

VT te Deo rectius, ipsique gratius offerre possis; meditare eius dilectissimum filium, Dominum nostrum Iesum Christum, dum in terris vixit, non solùm seipsum, omniaq; sua opera, sed & nos omnes cœ-

cœlesti Patri suo obtulisse. Idcirco si & tu teipsum, eidem cœlesti Patri offerre volueris; prius diligenter intuearis in Christum Dominum tuum, & meditare quomodo se & omnia, iam antea (vt dixi) cœlesti Patri obtulerit: & in hanc oblationem etiam conclude tuam, atque ex vtraque fac oblationem vnicam.

Deinde sedulò attende, vt ista oblatio tua sit ab omni appetitu libera ac pura: videlicet vt nec cœlestium, neque terrenarum rerum quicquam sed puram voluntatem, prouidentiamque Dei respicias: cui

cui te totum intimè subijcies, & in holocaustum perpetuum ita trades, vt aliarum rerum omnium penitus obliuiscaris: Sicque ad eum loqueris: Ecce Deus meus, creator meus, trado me in æternam Prouidentiam tuam: fac mecum in omni vita, & morte mea: sed & post mortem, seu nunc & in perpetuum, quod tibi placuerit.

Similiter cùm ieiunia, orationes, aliaq; opera bona Deo offerre volueris; considera primum quòd Filius Dei, ista opera tua vnà cũ suis antea obtulerit Deo, & sic vtraq; coniun-

iunxerit atque vniuerit: quãobrem & tu eadem sic offeras ac dones cœlesti Patri. Inde namque intelliges oblationes tuas è puro ac sincero corde proficisci. Et si tempore tribulationis huiusmodi oblatiões feceris; perfacile omnem angustiam, dolorem, miseriam atque pericula superabis, & Dei voluntatem rectissimè implebis.

Si verò Christi Domini nostri opera, cœlesti Patri suo, pro delictis tuis offerre volueris, sic te geres. Principio aliquantulum considera peccata tua, & vbi cognoueris te cœlestis

Vt Christi opera liceat offerre

lestis Patris iram per teipsum sedare eiusque iustitiæ satisfacere non posse; accurre ad vitam, passionem & mortem Christi Domini nostri, & vnũ aliquod ex istis, vitæ aut passionis meditare. Videlicet, quomodo ipse ieiunauerit, aut orauerit, aut sanguinem fuderit; tunc intelliges quomodo ipsemet Christus, tale opus, seu dolorem suum, pro peccatis tuis, ad reconciliandũ Deum tibi, obtulerit, dicens: O mi cœlestis Pater, iam plenè satisfacio tuæ diuinæ iustitiæ pro peccatis huius serui tui N. & oro tuam diuinissimam Maiesta-

iestatem, vt parcas ei, & assumas eum in consortium electorum tuorum. In hac autem meditatione etiam & tu offeras cœlesti Patri, istam oblationem vnigeniti Filij eius: ipsumque pro te & alijs hominibus ora, vt propter oblationē hanc ac nominis sui gloriam, benignè tibi & alijs condonet peccata vestra. Eandem spiritualem exercitationem vtiliter facere poteris in quolibet opere ac mysterio, quòd Christus Dominus noster in hac vita operatus est.

Qua de re adhuc valde multa dicenda essent, sed hæc im-

præſentiarum, pro conceſſa mihi facultate dixiſſe ſufficiat. Et ſanè, ſi tu hactenus dicta, memoria retinere, opereq́ue complere ſtudueris; non parùm, ſed multùm ſatis & didiciſti & laboraſti.

Scias tamen, ob intellectus tui imbecillitatem, & meam qua in hoc ſcripto vti oportuit breuitatem, tibi neceſſarium eſſe, vt omnia hactenus tradita, ſtudioſiſſimè mediteris. Per diligentem enim meditationem, & continuam exercitationem, magnum robur ſpiritus tibi certò conciliabis, ad

superandos, profligandosque cunctos hostes tuos.

Vnusquisq; ergo apud se ipsũ statuat, se proposita hactenus arma in manus sumere, contraque hostes suos strennuè, viriliter, constanterque dimicare velle. Pugna enim hæc eiusmodi est, vt nullus hominum eam possit subterfugere, sed singulis quibusq; omninò pugnandum sit. Qui enim non pugnat, hic perpetuò victus, mortuusque iacebit, quicunque fuerit. *Omnes pugnare debẽt.*

Sed nec vlla spes est Pacis, quandiu nobis cum his hostibus negotia sunt: & quidem

omnium maximè nocent his, qui cum eis pacificè viuere, & quaſdam velut inducias paciſci voluerint. Tu ergò eos, quantumlibet potẽtes & truculenti fuerint, ne timeas: q̃a omnis eorum potentia ac impetus, eſt in manibus ſupremi Ducis militiæ Chriſti Domini noſtri, propter quem tu pugnam hanc ſubijſti. Ob idque nemo in hac pugna ſuperatur, niſi ſponte ſua voluerit.

Dei auxilium patienter expectandum.

Nec te terreat, aut puſillanimem reddat, quòd Dominus Deus tuus, propter quem pugnam hanc ingreſſus es, ſuum auxiliũ ad vincendum hoſtem,

ſtem, nonnunquã diutius differat. Certiſſimè enim tibi perſuadere debes, ipſum Deum, ob ſummam bonitatem & omnipotentiam ſuam omnia quæ nobis ſuis militibus in quibuſcumque rebus, negotijsque eueniunt (præſertim incommoda, aduerſaque) in noſtram vtilitatem dirigere, & vt in optatiſſimum finem exeant, benignè prouidere.

Hæc meditatio generabit in te cor excelſum ac conſtans ad pugnandum. Proindeque etiamſi victoria nonnunquam ſequatur tardius, aut diutius differatur: credas firmiter id

propterea fieri vt latens in te superbia excludatur, vereque humilis fias ac maneas: Vel vt in virtutibus continuè magis, magisque proficias, & miles tandem exercitatus reddaris. Nam per varias, continuasque pugnas homo exercetur, multumq; proficit in arte pugnãdi: aut saltē obtinet aliud quoddam bonum, quod Deus in vtilitatem eius benignè, sapiētèrque aliquandiu occultat.

Propterea, dilecte fili, alacri & heroico animo ingredere hanc pugnam; ne sis ingratus Domino Deo tuo, qui tãtopere dilexit te, vt seipsum pro-

propter te, in mortem tradiderit, mundumq́ue sic pugnãdo deuicerit. Et attende diligenter ad omnem volũtatem, omniaque mandata ipsius, vt & omnes ad vnum hostes tuos penitus extirpes atque profliges. Quandiu enim vnicum ex ipsis viuere sinis, erit tibi festuca in oculo, & in latere lancea, quæ te à gloriosa victoria semper impedient.

FINIS.

APPENDIX
DE IACVLATORIIS oratiunculis: A IOD. LORICHIO S. Theol. Doct. &c. adiecta.

Occasio huius Appendicis. QVoniam autor in Tractatu præcedenti multoties meminit, oratiuncularum iaculatoriarum, earumque exempla nonnulla ostendit; operæ me-pretium facere iudicaui, si de his oratiunculis paucula monerem, & plura exempla subnecterem.

Iacul. orat. quid. Sunt ergo iaculatoriæ oratiunculæ, precationes, seu dicta quædam breuissima, quæ ani-

anima pia, inſtar Iaculorum ad Deum inuocandum, colẽdum, laudandum, ſurſum mittit: vel contra hoſtium inſultus excutit. Vſus earum eſt in omnibus actionibus, & euentis noſtris, præſertim repentinis tentationibus ac calamitatibus, vbi tempus non datur prolixius orandi. *Vſus earum.*

Iuuant quoque ad implendum illud Chriſti Domini noſtri conſilium: Oportet ſemper orare, & non deficere. Nã cùm mens noſtra non poſſit otioſa conſiſtere, & ſi piè non occupatur, aut non orat, in varia inutilia & noxia cogita- *Quid ſemper orare.*

ta prolabitur. quoniam̃ ſicut vita corporis noſtri, ſine continua attractione ſpiritûs: ita & mens noſtra in vita ſpirituali, abſque frequenti aſpiratione interna ad Deum conditorem ſuum, conſeruari non poteſt.

Ergo, *Sine intermiſsione orare*, eſt, omni loco & tempore, & in omnibus actionibus, ad Deum per huiuſmodi iaculatorias oratiunculas; ſicut recta ratio, pietas, deuotioque dictant, aſpirare. Parùm enim orare cenſentur, qui aut in tẽplo, aut domi in conclaui ſuo duntaxat orant.

Et non attingunt ad omnẽ intelligentiam verborũ Christi, qui illud, *Sine intermißione orare*, solùm intelligunt aut de his, qui horas Canonicas, vel alias certas preces quotidie recitant: aut de illis qui semp bene operantur, & quandoq; orant. Quoniam & inter operandum, & dum otiosi sumus, semper orare aliquid possumus, tacitè vel expressè *D. August. de opere Monach. cap.* 17.

PEtuntur autem iaculatorię huiusmodi oratiunculæ vndiquaque ex scripturis sanctis,

Sanctorumq; dictis, exemplis, scriptis: ex hymnis quoque ac canticis Ecclesiasticis, præsertim ex Psalmis. vt subiectæ formulæ testatum facient.

Orat. Iaculatoriæ communes, in omnibus tentationibus, aduersitatibusq; vsurpandæ.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. *Psal. 69.*

Exurgat Deus & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius. &c. *Psal. 67.*

In

In te Domine speraui, non confundar in æternum. *Ps.* 30.

Confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam. *Psal.* 69.

Custodi me Domine vt pupillam oculi, sub vmbra alarũ tuarum protege me. *Ps.* 16. *&c.*

Ex libris Ecclesiasticis, & vsu piorum.

Tu autem Domine miserere nostri.

Titulus Triumphalis (Iesus Nazarenus Rex Iudeorũ) defendat nos ab omnibus malis.

Nos cum prole pia bene-

dicat Virgo MARIA. &c.

Aliquando sufficit dicere.

Vah, Phy, Absit à me. Nolo.

Vel.

Signare se signo S. Crucis.

Aut

Aspergere se aqua benedicta.

Aliâs dic hanc oratiunculam.

Domine Deus meus, quotiescunque maligna hæc cogitatio mihi ingeritur inuito: toties te adoro, laudo & benedico. Et toties pro illis tibi laudes suauissimas omniũ sancto-

ctorum Angelorum offero ac transmitto: & præcipuè istas, quas spiritus ille malignus, qui mihi talia nunc suggerit, modò tibi caneret, si in bono perstitisset: vt vel hoc modò in tui laude istius vires expleam. *Ex Pharet. amoris &c.*

Pro patientia in aduersis.

Reuela Domino viam tuã & spera in eo, & ipse faciet. *Psal. 36.*

Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. *Psal. 26.*

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quo-

quoniam ipsorum est regnum cœlorum. *Matth.* 5.

Qui certat in agone, non coronatur nisi legitimè certauerit. 2. *Tim.* 2.

Sicut socij passionum estis, sic eritis & consolationis. 2. *Corinth.* 1.

Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomē Domini benedictum. *Iob.* 1.

Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futurā gloriam, quæ reuelabitur in nobis. *Rom.* 8. *&c.*

In prosperis euentis.

Lau-

Laudate Dominum omnes gentes · laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est sup nos misericordia eius, & veritas Domini manet in æternum. *Psal.* 116.

Domine quid est homo q; memor es eius, aut filius hominis quia visitas eum? *Psal.* 8.

Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea: psallam Deo meo quandiu fuero. *Psal.* 145.

Benedictio & claritas, & sapientia, & gratiarum actio, honor, virt⁹, & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Amen. *Apoc.* 7. *&c.*

Pro

Pro custodia suiipsius.

Vias tuas Domine demonstra mihi, & semitas tuas edoce me. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia. Perfice gressus meos in semitis tuis, vt non moueantur vestigia mea. *Psal.* 118.

Auerte oculos meos ne videant vanitatem. *Psal.* 118.

Pone Domine custodiam ori mei, & ostium circumstantiæ labijs meis. *Psal.* 140.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. *Psal.* 125. *&c.*

Pro

Pro colendo Deo.

Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra. Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. *Psal.* 8.

Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? *Psal.* 72.

Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. *Psal.* 83.

Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? *Psal.* 30.

Domine De⁹ virtutum, quis similis tibi? *Psal.* 88.

Non est similis tui in dijs Domine, & non est secundum opera tua. *Psal.* 85. *&c.*

Si vides res pulchras, dic.

Benedictus Deus, qui bene omnia fecit.

Sed mox adde.

Omnis caro fœnum: & omnis gloria eius quasi flos agri *Isa.* 40. Omnis gloria filiæ Regis ab intus. *Psal.* 44.

Homo enim videt quæ parent: Dominus autem intuetur cor. 1. *Reg.* 16, *&c.*

Eadem poteris vsurpare contra displicentiam rerum ex primo aspectu deformium & abiectarum,

Aut

Aut

Cogita de his, esse multò fœdiora & horribiliora in inferno: Sicut è contrario de speciosis cogita, esse multò speciosiora ac præstantiora in cœlis.

Contra tentationes superbiæ.

Quid superbit terra & cinis. *Eccl.* 10.

Quid habes quod non accepisti? 1. *Cor.* 4.

Qui se exaltat, humiliabitur. *Matth.* 23.

Ergo semper iudica te omnium esse minimum: omnesque homines te meliores ac digniores in omnib. *&c.*

Contra vanam gloriam.

Laudet te alienus, & non

os

os tuum. *Prou.* 27. Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat. 2. *Cor.* 10. *&c.*

Si autem laudaris ab alio, dic.

Non nobis Domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam. *Pſal.* 113. *&c.*

Si autem alius te vituperat, dic.

Benedictus es Domine Deus meus: quia tibi ſoli debetur omnis honor & gloria, mihi nil niſi ignominia. *&c.*

Contra omnem complacentiam in bonis actibus.

Co-

Cogita quàm indignum sit, vt qui Domino seruit, placere velit famulo. Id est, qui mandata facit Dei, placere cupiat hominibus.

Nam qui id student, iam receperunt mercedem suam. *Matth. 6.*

Contra tentationes Auaritiæ.

Beatius est magis dare, quã accipere. *Act.* 20.

Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia. 1. *Ti.* 6.

Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditioné. 1. *Ti.* 6.

Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Luc.* 14.

Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. *Matth.* 19. *&c.*

Qui veró diuitias habet, & retinere voluerit, hæc tria apud se statuat oportet, 1. Vt ex ijsdem non nisi vitæ necessaria sibi vsurpet, tanquam ex eleemosynis à Deo emendicatis. 2. Vt egentibus tàm liberũ earum vsum relinquat pro necessitate ipsorum, atque ipse in ijs habet. 3, Vt cûm ab ipso ablatæ fuerint; non aliter afficiatur ac si eas nunquam habuisset, Henricus Suso Serm, 4.

Diuitiarum vsus bonus, abusio mala

mala, solicitudo peior, quæstus turpior. D. Bernard. lib. 2. de Cõsiderat.

Contra munerum appetitionem.

Qui excutit manus suas ab omni munere &c. iste in excelsis habitabit. *Isai.* 33.

Non sit porrecta manꝰ tua ad accipiendum, & ad dandũ collecta. *Eccl.* 4.

Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes ori applicatas, ac degustatos cibos blandasque & dulces litteras, sanctus amor nõ habet. *D. Hieron. ad Nepot.*

Contra tentationes Luxuriæ.

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos. *Ephes.* 5.

Confige (Domine) timore tuo carnes meas. Auerte oculos meos ne videant vanitatē. *Psal.* 118.

Virginem ne conspicias: ne fortè scandalizeris in decore illius. *Eccl.* 9.

Circa ignem sedens, etsi ferrea sis, aliquando dissoluêris. Sæpe familiaritas vicit, quos vitium superare non potuit. *D. Bernard. Sermon.* 58. *ad soror.*

Contra tentationes Inuidiæ.

Qui

Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. *Prou.* 17.

Abominatio hominum, detractor. *Prou.* 24.

Qui non diligit, manet in morte. Omnis qui odit fratrẽ ſuum, homicida eſt. 1. *Ioan.* 3.

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderũt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos. *Matt.* 5.

Contra tentationes Iræ.

Ne ſis velox ad iraſcendũ: quia Ira in ſinu ſtulti requieſcit. *Eccl.* 7.

Ira viri iuſtitiam non operatur. *Iac.* 8.

Diſcite à me, quia mitis

 ſum,

ſum,& humilis corde. *Matt.*11.

Si quis te percuſſerit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. *Matth.* 5.

Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus. *Rom.*12.

Contra omnem verborum & verberum iniurias, finge te eſſe mortuum: ſic minus turbaberis & affligêris in mente tua.

Contra tentationes Gulæ.

Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè, ſed in nouiſſimo mordebit vt coluber, & ſicut regulus venena diffundet. *Prouerb.* 23.

At-

Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda veſtra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ: & ſuperueniat in vos repentina dies illa. *Luc.* 21.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus. 1. *Tim.* 6. *&c.*

Contra tentationes Acediæ.

Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter. *Ier.* 48.

Scienti bonum facere, & non facienti; peccatum eſt illi. *Iac.* 4.

Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus & ſtridor dentium. *Matth.* 25.

Cum timore & tremore ve ſtram ſalutem operamini, *Philip.* 2.

Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth.* 11. *&c.*

Contra humanam amicitiam.

An neſcitis, quia amicitia huius mundi, inimica eſt Deo. *Iac.* 4.

Si quis venit ad me, ait Chriſtus Dominus, & non odit patrem ſuum, & matrem, & filios, & fratres, & ſorores: adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. *Luc.* 14.

Hortus cõcluſus ſoror mea ſpon-

ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus. *Cant.* 4. *&c.*

Contra omnem apparatum huius mundi.

Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. 1. *Ioan.* 2.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. *Eccl.* 1.

Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur. *Matth.* 18.

Beatum dixerunt populum cui hæc ſunt: beatus populus cuius Dominus Deus eius. *Pſal.* 143.

Hi in currib. & hi in equis:

nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. *Psal.* 19. *&c.*

Ad imitationem horum spiritualium iaculorum, quilibet pius ac prudens Dei cultor sibi colligere potest etiam alias multas contra quoslibet inordinatos motus, affectusq; suos: & è contrario pro quibuslibet bonis affectibus in se excitandis, ad omnia quæ videt, audit, gustat, sentit: & ad omnia quæ agenda suscipit, Cuiusmodi in quorundam piorum libellis leguntur.

Laus Deo, virginiq; matri
MARIAE.

Admonitio de erratis.

Occurrent quidem pio lectori huius libelli nonnulla errata typographica: sed non alia, quàm quæ ab ipsomet facile corrigi poßint.

Iod. Lorichius &c.

FRIBVRGI BRISG.

Excudebat Martinus Beckler Typographus.

ANNO M. D. IC.